STATVTA ANTIQVA

DE

Officio Camerarij Cleri Romani, & Iuribus Funeralibus Ecclesiarum, præsertìm Parochialium Almæ Vrbis,

VNA CVM

ADDITIONIBVS, SEV DECLARATIONIBVS NOVISSIMÈ

Ab Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Gaspare Carpineo Episcopo Sabinen., & SS. D. N. Papæ Vicario Generali &c. Post maturam reuisionem, & approbationem factam in Congregat. Præfectorum, & deindè in Congreg. à SS. D. N. CLEMENTE Papa XI. specialitèr deputata, ac de eiusdem Sanctiss. D. N. mandato editis, & promulgatis.

Adiecta Taxatione emolumentorum funeralium ad communem intelligentiam vulgari sermone impressa:

Cum Appendice diuersorum Edictorum, Decretorum, & Decisionum ad eadem Statuta pertinentium.



ROMÆ, MDCCVII.
Apud Aloysium, & Franciscum de Comitibus Impressores Camerales.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

INDEX
Eorum, quæ in hoc Statutorum volumine continentur.

INDICE
Degl'Ordini circa gl' Emolumenti de' Funerali.

Per

Per

IN-

INDEX
APPENDICIS.

Sa-

Sacræ Rotæ Romanæ Decisiones super funere non facto, nempè

Decisio I. in Romana funeralium 24. Aprilis 1690. coram Emo Caprara. pag. 98. & seq.

Decisio II. in alia Romana funeralium 15. Iunij 1699. coram Rmo Molines Decano. pag. 101. & seqq.



DECRE.

DECRETVM

Eminentissimi Vicarij cum approbatione SS. D. N. Clementis Papæ XI.

Super noua Statutorum Cleri Romani collectione, & instauratione.



LERI Romani Statuta iamdiù condita à Viris clarissimis, Sacrotumque Canonum peritissimis, aliàs recognita, & antiquissimo vsu nouimus comprobata; Et quidem ea, quæ ad sanciendam Cleri disciplinam, Ciuiumque mores componendos spectant, partìm edita constat à bonę memoriæ Francisco de Padua Episcopo Feltren., san. memor. Pij II. in Vrbe, eiusque Districtu Vicario Generali de consilio Camerarij, & Consiliariorum totius Cleri Romani in Collegiata Ecclesia Sancti Eustachij synodaliter congregati: partìm verò * anno 1431. à bonæ memoriæ Daniele Episcopo Parentino, san. memor. Eugenij IV. in Vrbe, eiusque Districtu Vicario Generali, & ab ipso Eugenio ad petitionem similis mem. Gasparis Archiepiscopi Compsani eius in Vrbe Vicarij in forma specifica confirmata. Alia similiter vetustissima ad eandem Ecclesiasticam disciplinam pertinentia sub Constitutionum nomine in Codice

Statuta antiqua.

* Rota infrà p.26.

eorundem antiquorum Statutorum conspiciuntur annexa.

Antiquas verò, laudabilesque Consuetudines Cleri Romani quoad Camerarij munus, & officia funeralia, in Statutum quoque cernimus redactas anno 1384. * ex Decreto fel. mem. Stephani Presbyteri Cardinalis Sancti Marcelli, san. mem. Vrbani VI. in Alma Vrbe, eiusque Districtu Vicarij Generalis, ipso Clero, vt moris erat, conueniente in Ecclesia D. Rosæ (quæ hodiè S. Catharinæ de Rosa ad Funarios esse fertur). Easdem matura postmodùm deliberatione confirmatas legimus * per bo: me: Ioannem Abbatem Ven. Monasterij Sancti Pauli extrà muros, san. mem. Bonifacij IX. in Alma Vrbe, eiusque Districtu Vicarium Generalem in Ecclesia S. Laurentij in Damaso coram omnibus de corpore ipsius Cleri occasione Processionis Rogationum ad diem 23. Maij 1392. inibi congregatis. His superadiectas quasdam alias Constitutiones anni 1452. tempore Pontificatus san. mem. Nicolai Papæ V., ex antiquo eorundem Statutorum exemplari comperimus.

* Ioan. Franc. Pauin. de off. & pot. Capitul. Sede vac. qu. 10. 2. p. princ. n. 41. inter Tract. Magn. t. 2 aliàs t. 13 p. 2.

* cit. Pauin. ibid.

Hæc omnia, & quædam alia vno volumine comprehensa, pro rebus ritè, rectèque gerendis per Camerarios Cleri, eorumque Consiliarios pro tempore circumferebantur. Verùm demptis ijs, quæ ferè obsoleuerant, quæuè pro Sacramentis, Cultu Diuino, & morum, vitæque honestate per Sacrum Concilium Tridentinum, Catechismum, & Rituale Romanum,

necnon

necnon Apostolicas Constitutiones fuerunt salubriter diuulgata; reliqua ad Camerarij Cleri officium, & funerum iura spectantia, tanquàm eiusdem Romani Cleri Iura Municipalia, in meliorem formam disposita, & ad normam Sacrorum Canonum quoad fieri potuit, tempore san. mem. Pauli V. de mandato fel. rec. Io: Garsiæ Cardinalis Millini in Alma Vrbe Vicarij authoritate Ordinaria fuerunt instaurata, & anno 1618. primùm Typis excusa. Prima editio.

At quoniàm eorum exemplaria ferè omnia temporis diuturnitate interciderant, & quandoque super eorundem interpretatione nonnullæ controuersiæ fuerant exortæ, varijs deindè Decretis in Nostro, alijsque Romanæ Curiæ Subsellijs, præcipuè Sacræ Rotæ, diremptæ; hæc Nobiscum reputantes, ac veriti, ne Statuta ipsa, resque iudicatæ super eis proditæ traderentur obliuioni, iudicauimus publicam in rem fore, si vnum in Corpus, & Volumen ea Statuta cum nouis Decretis, seù declarationibus redigerentur. Id verò, vt rectè, atque ordine fieret, consulendam duximus Congregationem Præfectorum Cleri Vrbis; deindè pro eorum reuisione, & confirmatione, san. mem. Innocentius XII. quem Cleri Camerarius supplex adiuit, die 18. Martij 1699. exquirendum censuit iudicium Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ, quæ die 14. Maij eiusdem anni rescripsit, *quod per Eminentissimum Vicarium deputaretur Congregatio particularis ad effectum examinandi Statuta Typis demandata de-*

Nouæ declarationes.

Decretũ S. C. Visit. Apost.

anno 1618. & concordandi cum manuſcriptis, ac publicandi Statuta, quæ in poſterum ſeruari debeant ab omnibus Parochis. Deputata proindè Congregatione particulari Reuerendiſſimi D. Viceſgerentis Noſtri, aliorumque grauium Virorum tàm pro dictorum Statutorum inſtauratione, quàm pro eorundem declaratione, nouaque additione ſecundùm ea, quæ anteà contigerunt, & in poſterum poſſent emergere, plurimiſque indè coram eodem Reuerendiſſimo D. Viceſgerente ſeſſionibus habitis conclu-ſum fuit, antiqua Statuta ad publicam omnium vtilitatem pluribus additis declarationibus, nouiſque Decretis in ipſorum confirmationem, facilioremque intelligentiam, ac obſeruantiam denuò in lucem edenda, proùt anno 1701. in lucem edita ſunt.

Secunda editio.

Reuiſio Congr. deputatæ.

Verùm nonnullis Additionibus in controuerſiam reuocatis, pro earum reuiſione Sanctiſs. D. N. CLEMENS XI. qui Solium Apoſtolicum feliciter obtinet, pro eo, quo pollet Zelo, die 11. Ianuarij 1702. Congregationem particularem indixit, nempè Eminentiſs. DD. Cardinalium Acciaioli, Carpinei, Colloredi, Bichij, & Sperelli, necnon Illuſtriſs. DD. Prælatorum Proſperi Bottinij Archiepiſcopi Myren. Fidei Promotoris, Dominici de Zaulis Epiſcopi Verulani Viceſgerentis, Io: Dominici Paracciani Auditoris Sanctiſſimi, poſteà S. R. E. Cardinalis, Ioſephi Dominici de Totis Sac. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ Secretarij, & clar. mem. Gabrielis Philippuccij, tunc Votantis Signaturæ Iu-

ſtitiæ,

ſtitiæ, Secretarij vices ſubeunte D. Nicolao Antonio Cuggiò Noſtri Tribunalis Secretario; Eademque Congregatio poſt auditos Reuerendos Parochos, ac Populi Romani Defenſores ab eodem Sanctiſſimo ad hunc effectum deputatos, eorumque rationes & voce & ſcripto acceptas, re accuratè diſcuſſa in Ædibus prædicti Eminentiſs. D. Cardinalis Acciaioli die 20. Aprilis, & 13. Iulij anni 1704. quædam ſuper hac re decreta pronunciauit, pro quorum declaratione ſupplicitèr à Partibus conſulto Sanctiſs. D. Noſtro, eiuſque iuſſu ab Eminentiſſimo Acciaiolo, & à Nobis auditis denuò R. D. Caietano Iuones Cleri Camerario, Parochis, ac Deputatis ſupradictis, etiam ſuperalijs, quæ circà iura, ritusque funerum pari declaratione, ac moderatione indigere cognouimus, plures ad hanc rem Declarationes adiecimus, ijſque diligentèr recognitis, ſingillatìmque examinatis, tandèm extrema Statutis, & Additionibus memoratis manu adhibita, ac Sanctiſſimo D. Noſtro porrectis, SANCTITAS SVA VIVÆ VOCIS ORACVLO benignè eadem omnia, & ſingula APPROBAVIT, & non obſtantibus quibuſcumque alijs in contrarium facientibus publicari, ſeruarique mandauit.

Approbatio SS. D. N.

Nos igitur volentes Apoſtolicis obedire mandatis, & cupientes, Statuta huiuſmodi tàm maturè digeſta perpetuò obſeruari, Authoritate Noſtra, immò veriùs Apoſtolica, qua in his fungimur, tenore præſentium approbamus, innouamus, confirmamus, & pleniſſimum, perpetuumque firmitatis robur eis

Executio ſeù cöfirmatio Statutorum,

accom-

Additionum, accommodamus, ac præmissas omnes Additiones, seù Declarationes cum integro Statutorum textu prorsùs

& Taxæ. intacto opportunè, vbi res postulat, interiectas, necnon Taxationem cum ordinationibus nonnullis ad clariorem intelligentiam vulgari sermone conscriptam, quam præsenti collectioni annecti volumus, vt ad omnium notitiam perueniant, ac vt omnes, & singulos, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficiant, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ vice solemnis publicationis consignari, & in Typographia Camerali, ac in Secretaria Nostri Tribunalis, sicut alia Edicta, Ordinationes, & Bannimenta ad publicam commoditatem adseruari mandamus, eademque Statuta modò colle-

Aliorum suppressio cta, & publicata, ceteris Exemplaribus, & Codicibus suppressis, & abrogatis, ab omnibus sublata quacumque alia interpretatione, consuetudine, vsu, stylo, vel alijs quomodolibet in contrarium facientibus, seù disponentibus inconcussè, firmitèrque obseruari, & in omnibus inuiolabilitèr executioni mandari decernimus.

Derogatio cōtrariorum. Declarantes de cetero irritum, & inane quidquid super præmissis, ac vniuersis in huiusmodi Statuto, illiusque Additionibus, seù Declarationibus contentis, & quolibet ipsorum à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Alia insuper Statuta, Constitutiones, Decreta, Taxationes particulares, & Consuetudines quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium, Monasteriorum, Collegiorum, Hospi-

spi-

ſpitalium, Archiconfraternitatum, Societatum, aliorumque Piorum locorum, quorum omnium, & ſingulorum tenores hìc haberi volumus pro expreſſis, in ijs, quæ præſentibus Noſtris aduerſantur, eadem authoritate penitùs abrogantes, & reuocantes.

Quicumque verò aliquid contrà Noſtra Statuta, Additiones, Declarationes, Moderationes, Confirmationes, Ordinationes, Taxationes, & Decreta huiuſmodi commiſerit, conuenerit, aut quomodolibet attentare præſumpſerit, vltrà rerum, & pecuniarum malè, indebitè, vel aliàs etiam ex peculiari conuentione perceptarum reſtitutionem, alias quoque pœnas (vbi ſpecialiter non fuerint expreſsæ) arbitrio Noſtro, ac Succeſſorum Noſtrorum pro facti, & perſonarum qualitate infligendas incurrat. Dat. Romæ ex Ædibus Noſtris hac die 5. Aprilis 1707. Contrauenientiũ pœnæ.

G. Card. Carpineus Vic.

N. A. Canonicus Cuggiò Secr.

De eligendo Cleri Camerario.

CAP. I.

§. I.

IN primis ſtatuimus, & ordinamus, vt iuxtà antiquiſſimum vſum Cleri Camerarius vltima die Rogationum in Baſilica SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli in loco ad hoc deputato ad ſecreta ſuffragia de anno in annum hoc ordine eligatur, videlicèt.

§. II.

Eminentiſſimus D. Cardinalis Vicarius Sanctiſſimi D. Noſtri pro tempore exiſtens vno anno tres Canonicos proponat, & qui ex illis plura ſuffragia habuerit, Cleri Camerarius electus cenſeatur.

§. III.

Altero verò anno, qui ex tribus Parochis paritèr ab eodem Eminentiſſimo Vicario nominatis, plura vota reportauerit, pro Camerario habeatur.

ADDITIO.

In electione Camerarij ſuffragium habeant, & ferant omnes Canonici, & Parochi, aliquo autèm ex Parochis deficiente, ſeù non interueniente, non admittantur eorum Subſtituti, vel Viceecurati, ſed tantùm Oeconomi. Coadiutores etiam Canonicorum, ſiuè Archipresbyterorum, & Parochorum voce actiua dumtaxàt in abſentia Coadiuti gaudere, at in Camerarios eligi non poſſe declaramus, ſicut nec Parochos Regulares, neque præfatos Parochialium Eccleſiarum Oeconomos.

Quoniàm verò retroactis annis aliqua suborta fuerat confusio in ipso actu electionis, & suffragiorum collatione, & collectione, ad euitandas omnes difficultates, & ambages, formam in posterùm obseruandam in electione, & suffragiorum collatione hoc modo statuimus: Postquàm omnes Electores conuenerint in Sacrarium Basilicæ Vaticanæ, claudenda primùm est illius ianua, nemini, siuè ingredi, siuè egredi volenti, deindè aperienda, & à Secretario Tribunalis Eminentissimi Vicarij, seù eius Substituto alta voce legatur, seù publicetur huiusmodi ordo pro electione præscriptus: Publicentur mox per Reuerendiss. D. Vicesgerentem tres nominati ab Eminentissimo D. Cardili Vicario, tunc ferantur suffragia in Vrna, in qua & suffragium fauorabile, seù pillula albi coloris, & contrarium, seù pillula nigra ponatur. Omnium verò, & supradictorum Electorum nomina, & cognomina à dicto Secretario, eiusue Substituto describantur; deindeque vnusquisque ex Electoribus recipiat pillulam, siuè globulum ad ferendum suffragium destinatum ab eodem Reuerendissimo D. Vicesgerente, coram quo Vrna parata esse debet, ac tempore, quo suffragia feruntur, nemo ad mensam, seù Vrnam paratam appropinquet, vt videat, & omnes nominati ad officium Camerarij, ideſt vnus post alium iuxtà ordinem eorum nominationis, ad calcùlum ponantur, ex quibus ille, quem maiora, seù numero plura suffragia post factam collationem numeri ad numerum habuisse compertum fuerit, eo anno in Camerarium electus intelligatur.

§. IV.

Infrà c.2. §.4. & 6. Et quoniam àd Camerarium spectat assistere disputationibus Casuum Conscientiæ, componere lites funerum, & alia similia peragere, idcircò statuimus, vt nemo in Camerarium eligi valeat, nisi aliàs idoneus judicetur.

§. V.

In eligendò verò Camerario, Archipresbyteri curam Animarum habentes non in anno Parochorum concurrant, & nominentur, sed eo anno, quo Canonici nominari soliti sunt.

§. VI.

Et quià æquum est, honores, & commoda inter plures distribui, idcircò statuimus, Camerarium elapso anno sui officij ad alium annum sub quouis prætextu, nisi post tres annos confirmari non posse.

ADDITIO.

Officium Camerarij Cleri statim elapso anno expiret, nec in subsequenti immediato triennio confirmari, seù reeligi valeat, excepto tamèn casu vacationis Sedis Apostolicæ tempore sui officij occurrentis, quo ex consuetudine aliàs admissa, & approbata ad alium annum absque noua electione confirmatus intelligatur, ità tamèn, vt vltrà biennium à die electionis etiam ex causa nouæ vacationis confirmari non possit. Statut. vet. c. 3.

§. VII.

Nouus Camerarius recipiat de manibus Camerarij Veteris, seù Mandatariorum Eminentissimi D. Vicarij Crucem, Stolam, & alia supellectilia Cleri, & de eisdem quietantiam faciat.

§. VIII.

Quod si contingat, inopinato forsan interitu Camerarium non dùm elapso anno sui officij occumbere,

Eminentissimus D. Card. Vicarius ad suum libitum subſtituat alium, ità tamen, vt Canonicus in locum Canonici, & Parochus pro Parocho prædefuncto subrogetur:

ADDITIO.

Idem intelligendum esse declaramus in casu, quo Camerarius officium, ad quod nominatus, & respectiuè electus fuit, acceptare renueret, vel assumptum dimitteret. subrogatum autèm in locum demortui, recusantis, vel dimittentis vices illius sibi commissas subire non posse vltrà tempus prædictum vnius anni, quo officium deficientis duraturum foret, nisi casus Sedis Vacantis eueniat, in quo, vt superiùs dictum est, ad alium annum paritèr confirmatus intelligatur.

§. IX.

Ille tamen, qui, vt dictum est, subrogatus fuerit, non sic excludatur, quin possit iterum altero anno proponi, & eligi.

§. X.

Ad funus autem Camerarij defuncti totus Clerus cùm superpelliceo conueniat, & integrum officium Defunctorum in Ecclesia, in qua depositum est, alternatim psallant.

ADDITIO.

Vt autèm id rectè, vt par est, agi valeat, qui postremò officio Camerarij functus fuit, curabit omninò, vt Clerus, quoad fieri poterit, hora, locoque intimatis funeri intersit.

Decretũ Congreg. Præfectorum anni 1672. Parocho verò infirmo, ac morti proximo, alter Parochus vicinior officia illa præstet, quæ ad animæ salutem eo tempore requiruntur: Eoque mortuo certiorem reddat

Cle-

Cleri Camerarium, & Parochum, qui munus Camerarij Cleri postremò exercuit, & vnà cum cæteris Parochis, quos inuitare curabit solemni more in Ecclesia Parochiali, vel alia, ad quam Cadauer deferatur, Officium, & Missam pro eius anima celebrent, vltrà Missam priuatam, quam vnusquisque; siuè Parochus, siuè Vicarius Curatus quamprimùm pro Defuncti anima celebrare teneatur. In eius exequijs duodecim Cerei, siuè intortitia accendantur sumptibus vacantis Ecclesiæ, seù Beneficij Parochialis, cuius lucro illorum residuum cedat, eiusdemque Ecclesiæ Capitulum, vel Oeconomum, aut Successorem, aliosque quoscumque etiam Cleri Camerarium nihil pro sepultura, aut quacumque alia causa, siuè pro hoc funere, & si solemniori pompa celebretur, quouis nomine à quoquam exigere posse statuimus: Si tamèn hæredes vltrà prædictum numerum alia intortitia apponant, tunc residuum huiusmodi superappositorum debeatur ei, ad quem emolumenta funeralia, seù incerta vacantis Parochiæ, vel Ecclesiæ spectant.

Funeri etiam R.mi Vicesgerentis Parochi à Camerario vt suprà inuitati intersint.

De Officio Camerarij.

CAP. II.

§. I.

Officium Camerarij erit interesse cum Stola ipsius Cleri Processionibus generalibus, videlicet Corporis Domini, Rogationum, Iubileorum, Sedis Vacantis, & similibus, cuius locus immediatè post omnes Canonicos, exceptis Patriarchalium, atque insignium Collegiatarum, existat.

ADDITIO.

Cum Camerarij munus sit cum Stola in Cleri Processionibus generalibus interesse, Sacerdotio insignitum esse decernimus iuxta dispositionem antiquissimi Statuti, aliter electio irrita sit. Stat. vet. cap. 12.

Cùm

Cùm verò Camerarius huiusmodi Generalibus Cleri Processionibus interfuerit, distributiones perindè lucretur, acsi cum eius Capitulo interfuisset: Ipso autèm absente, Stola deferatur à Substituto per Reuerendissimum D. Vicesgerentem approbando, ex cætu tamén Canonicorum, si Camerarius est Canonicus, vel Parochorum Secularium, si est Parochus. At in Processionibus funeralibus seruetur dispositio §.9. *huius capitis*.

Interesse quoque Camerarius debeat Congregationi Præfectorum Cleri Romani, Disputationibus Casuum Conscientiæ, ac examini Testium ad probandum statum liberum, præsertim eorum, qui Matrimonium contrahere volunt (& pro examine omnium Testium pro contrahendo quolibet Matrimonio in totum Iulius vnus, pro examine autèm Testium pro quolibet statu libero in totum dimidium Iulij ei à Notarijs Eminentissimi Vicarij contribuatur) necnon listas funerum taxare, atque subscribere, nec alius ad hæc peragenda à Camerario subrogari possit, nisi ex causa, & licentia Eminentissimi D. Cardinalis Vicarij accedente.

§. II.

Idem Camerarius curabit, vt in prædictis Processionibus Crux ipsius Cleri per eius Sacristam decentèr deferatur, quæ quidem Crux immediatè post omnes Regulares subsequi debet.

§. III.

In prędictis Processionibus fas erit Camerario mandare deferre Pluuialia, Tunicellas, & similia, necnon Litanias intonare, & psallere, quibus sibi bene visum fuerit. (Stat. vet. cap. 17.)

§. IV.

Ad ipsum Camerarium spectabit summariè, & abs-

absque strepitu Iudicij dirimere causas occasione funerum emergentes. Stat. vet. cap. 2. & cap. 20.

§. V.

Controuersias quoque præcedentiarum in prædictis funeribus absque tamen Partium præiudicio componere possit, & debeat.

§. VI.

In disputationibus quoque casuum conscientiæ coram Reuerendissimo D. Vicesgerente inter ipsos Parochos fieri solitis, curet aliquos eligere ex Parochis, qui Conclusiones defendant, & oppugnent.

ADDITIO.

Disputationes Casuum Conscientiæ fieri debent in Archigymnasio Sapientiæ Romanæ iuxtà Decretum S. Congregationis Visitationis Apostolicæ videlicèt = *Hoc suppli ci libello Parochorum Vrbis audito, & accuratè perpenso Sac. Congregatio Visitationis Apostolicæ censuit, si SS. D. Noster annuat, esse illis indulgendum, vt disputationes de Morali Theologia, quas hucusque singulis mensibus habere consueuerunt in Parochiali Ecclesia S. Thomæ in Parione, deinceps ad mentem Constitutionis f. m. Leonis X. habere possint in Ecclesia Archigymnasij Sapientiæ Romanæ, cum assistentia tamèn, vt moris est, Vicesgerentis, & Camerarij Cleri: Quam Congregationis Sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbauit, & ab ijs, ad quos pertinet, obseruari præcepit, contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum die* 29. *Decembris* 1660. Quibus disputationibus assistere debeant alternatim duo Professores Sac. Theologiæ eiusdem Archigymnasij, nempè Dominicanus, & Minorita Conuentualis, proùt f. m. Alexander VII. Anno 1661. mandauit.

§. VII.

§. VII.

Stat. vet. cap. 19. Statuimus quoque, vt Camerarius pro necessitatibus Cleri insurgentibus Congregationem conuocandi facultatem habeat, atque eius iussu Eminentissimi D. Card. Vicarij mandatarij eandem intimare teneantur, petita tamen prius licentia ab Eminentissimo D. Cardinali Vicario.

§. VIII.

Ad euitandam confusionem, & pro maiori decore Collegij Parochorum curabit Camerarius, vt in prædictis Processionibus, tàm Parochi Regulares, quàm Parochorum Substituti incedant in capite Processionis, reliqui verò Rectores iuxtà ordinem eorum antianitatis subsequantur.

ADDITIO.

Seruetur omninò dispositio huius §. itaùt suo quisque loco, non autem confusè, & mixtim incedat, & in capite quidem Processionis Substituti Parochorum, & Oeconomi, deindè Parochi Regulares cuiuscumque ordinis à Seculo segregati, & postremò Parochi Seculares, attento inter ipsos Parochos ordine eorum antianitatis, hoc est promotionis anterioritate eo modo, qui de præsenti obseruatur.

§. IX.

Statutum Vet. c. 33. Decretũ bo. mem. Archinti Idem Camerarius ad omnia funera, in quibus sex Cruces, seù corpora Ecclesiarum, siuè Regularium, siuè Secularium fuerint inuitatæ à Parocho, seù Sacrista

sta illius Ecclesiæ, in qua Defunctus reperitur, inuitari debebit, quod si tempus non adfuerit, vel qualibet alia iusta causa non potuerit personaliter, vel per substitutum interesse, ipse Parochus vices Camerarij gerat, stolamque propriam alteri Sacerdoti gestandam præbeat, & posteà quamprimùm Camerarium ipsum admoneat, vt emolumenta sibi prouenientia exigere valeat. Vicar. sa. mem. Iulij III. die 16. Octob. 1553.

ADDITIO.

Si duos, vel plures Parochos funerali Processioni interesse contigerit absente Camerario, vel eius Substituto, stolam Camerarij gestare debeat, qui ex dictis Parochis personaliter interuenientibus primum locum habet iuxtà ordinem traditum in §. 9. *cap.* 5. eiusque additione.

§. X.

Sciat autem Camerarius, munus suum esse, nisi vrgenti causa præpediatur, personalitèr funeribus prædictis interesse debere, vt sua prudentia, atque auctoritate contentiones, quæ in huiusmodi funeribus non raró suboriri solent, componere valeat.

§. XI.

Quod si Camerarius hora sibi intimata ad locum funeris accesserit, non sit ampliùs fas hæredibus defuncti illum recusare, quantumuìs aliqua ex sex Ecclesijs inuitatis quauis de causa defuerit, ne Clerus totus ex persona Camerarij deludi videatur.

§. XII.

Dict. Decret. bon. mem. Archinti 16. Oct. 1553. Declaramus autem, quod Cathecumeni, & Orphani, & singulæ Laicorum Confraternitates, nec non singula Regularium Monasteria, siuè Domus singulæ pro singulis Corporibus, seù Ecclesijs, vel partitis computentur.

§. XIII.

Quin etiamsi Cadauer ad Parochialem Ecclesiam Regularium tumulandum deferatur, & vltrà ipsius Ecclesiæ Parochum, Fratres quoque, seù Monachi fuerint inuitati, Parochum, & Regulares eiusdem Monasterij pro duobus Corporibus computari debere declaramus.

ADDITIO.

Idem dicendum, quoties in Parochia Sęculari adsit Capitulum, vel Congregatio Presbyterorum, quæ cum Parocho pro duobus Corporibus pariter debeant computari.

§. XIV.

Ex antiqua item consuetudine Camerarius in Processionibus generalibus Corporis Domini, & Rogationum quinque iulios pro qualibet Processione Mandatarijs Emin. D. Vicarij elargiri tenebitur.

ADDITIO.

Ità etiam in quibuslibet alijs Processionibus Generalibus Cleri, & in Processionibus, quæ fiunt durante Sede Vacante.

No-

§. XV.

Notario quoque, qui tempore suæ electionis in Camerarium Mensarius extiterit, seù de eadem se rogauerit, vnam Torciam, atque scutum vnum aureum pro emolumentis ex pari consuetudine ibi debitum præstabit.

A D D I T I O.

Ex vetusto tempore Secretarius Tribunalis Emin. Vicarij de Camerarij electione se rogat, ideòque eidem præscripta emolumenta præstentur.

De Iure eligendi Sepulturam, atque Funerandi.

CAP. III.

§. I.

SAcrorum Canonum Decreta secuti statuimus, decernimus, & ordinamus, vt quilibet sanæ mentis, & pubes existens eligendi sibi sepulturam in loco Religioso, vbicumque maluerit, facultatem habeat.

A D D I T I O.

Sepulturæ electionem fieri posse in quacumque Ecclesia, seù loco Religioso declaramus, dummodò locus ille de Iure cōmuni, vel ex priuilegio Apostolico ius sepeliendi habeat, non autem quoties eo caret, vt sunt Oratoria, Ecclesiæ Regularium Virorum, qui habent Ecclesias interiores, vel ex peculiari Instituto non habent Sepulchra pro extraneis, Ecclesiæ Monialium (exceptis ijs, in quibus ani-

Cap. 1. de sepult. vbi Gloss. v. alienam. Cap. cùm liberum, eod. tit. Cap. cùm quis §. Si quis, de sepul. in 6

Glos. in cap. 1. de pact. in 6. & Cōsuetudo Vrbis.

animarum Cura exercetur) & alia id genus; Neque electio fieri possit in Ecclesia, in qua ob aliquod impedimentum Cadauera sepeliri non possunt, veluti in Basilica Vaticana ob reuerentiam Summorum Pontificum, neque in Ecclesia interdicta; quod si ex permissione Superiorum illarum Religionum, quæ non habent Sepulchra pro extraneis, & ex licentia nostra sepeliatur Cadauer in Ecclesijs, quæ Ius sepeliendi non habent, tunc integrum Funerale spectet ad Parochialem Ecclesiam, cui ex huiusmodi licentia in nihilo præiudicatum esse intelligatur quoad omnia emolumenta, etiam proprij Vespillonis, ac si in eadem Ecclesia Parochiali sepultum fuisset, & Vespillones Ecclesiæ sepelientis nihil aliud prætendere possint, quàm mercedem Sepulturæ.

Pauperes etiam, qui gratis sepeliuntur, Sepulturam extrà propriam Ecclesiam Parochialem eligere nequeant. Quod si Parochi dent licentiam illos sepeliendi in Sepultura electa, nihil omninò recipiant etiam pro Viaticis.

§. II.

Alteri verò suæ sepulturæ electionem nemo committere potest, vndè qui dixit, sepeliatis me vbicumque volueritis, absque electione sepulturæ decessisse censeatur.

§. III.

Electio autem sepulturæ extrà propriam Parochiam proprio Parocho constare debet, vndè hæredes defuncti Testamentum, seù aliam vltimam voluntatem, vel saltèm duos Testes fide dignos, & non suspectos ipsi Parocho afferre tenebuntur; in casu dubio ad Emin. D. Card. Vicarium, seù eius Reuerendissimum D. Vicesgerentem recurratur.

AD-

ADDITIO.

Electio Sepulturæ constare debeat proprio Parocho ante Cadaueris humationem : Quod si hoc negligatur, tunc postquàm Cadauer Ecclesiasticæ Sepulturæ in propria Parochia traditum fuerit, de tali electione nulla ratio habeatur, nisi fuerit facta per Testamentum, aut Scripturam publicam, vel manu Testatoris signatam, quo casu permittitur hæredum sumptibus exhumatio Cadaueris intrà semestrè, dummodò illud discernatur; at delatio priuatìm fiat, vt in additione ad §.28.

§. IV.

Decedens verò non electa sepultura, vel in sepulchro maiorum suorum, vel in propria Parochia, prout hæredibus defuncti magis videbitur, est tumulandus; d. cap. 1. de sepult. & cap. Is qui, eod. tit. in 6.

ADDITIO.

Pro hæredibus in hoc §., & alijs, in quibus de ipsis fit mentio, si non existant in Vrbe, reputentur illi, qui de Funere curam habent.

§. V.

Sepulchrum maiorum illud dicitur, quod à Patre, Auo, seù alijs per rectam lineam ascendentium masculinam constructum fuit, etiamsi nondùm quis in eo sepultus sit. Cap. In nostra vbi Abb. de sepult.

§. VI.

Propria verò Parochia dicitur illa, in qua quis habet domicilium, seù degit, & recipit Sacramenta, seù recipere tenetur. Cap. 1., & seq. de Paroch. C. cũ quis Clem. Dudùm de sep. in 6.

§. VII.

Infantes, qui Nutricibus alend: extrà propriam Pa-

Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia Parentum, atque ad illam pertinent, licèt in aliena Parochia decedant.

§. VIII.

Patre verò orbatos, quousque apud ipsam Matrem aluntur, licèt in potestate Tutorum, non Matris existant, de Parochia Matris, non Tutorum esse declaramus.

ADDITIO.

Si Nutricibus alendi extrà propriam Parochiam dentur à Matre, domicilium in Parochia Matris, si verò vtroque Parente caruerint, domicilium in Parochia Tutorum, non verò Nutricum retinere declaramus: Quod si nec Tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.

§. IX.

Abb. in c. in nostra n. 10. de sepult.

Idem asseueramus de Scholasticis domicilium in Domo Patris, seù Cognatorum habentibus, & causa studiorum in aliquo Seminario, vel Collegio extrà Parochiam ad conuiuendum commorantibus, primum quippè domicilium retinere declaramus.

ADDITIO.

Si Scholastici sint exteri, vel nullum habeant in Vrbe domicilium, ad Parochiam, intrà cuius fines situm est Collegium, non solùm quoad Funeralia, sed etiam quoad Matrimonia pertinere statuimus.

Si verò domicilium in Vrbe non habentes, ad Amicorum, vel Coniunctorum ædes ratione infirmitatis, aliaue quacumque causa, non derelicto tamen Collegio se transtulerint, ibique decesserint, ad Parochiam Collegij pertinere declaramus.

Hoc

Hoc idem ſeruandum erit in Puellis, & alijs, quæ educationis, vel famulatus, aliaue quacumque cauſa accidentali in Monaſterijs, aut Conſeruatorijs degunt, quarum Cadauera tumulanda eſſe mandamus in Sepulchro maiorum, ſi habeant, vel in Eccleſia Parochiali, intrà cuius limites vnaquæque proprium habet domicilium, quatenùs abſque electione ſepulturæ deceſſerint: Si verò ſint exteræ, vel non habeant in Vrbe domicilium, ſeruetur, quod de Scholaſticis ſuprà diſpoſitum eſt, tam in funeralibus, quàm in contrahendo matrimonio, proùt etiam declaratum fuit à Nobis in Congregatione particulari ſub die 19. Ianuarij 1705.

S.C.Concilij in *Sueſſana* Iuriũ *Parochialiũ* 7. Septembris 1697. ad 2. Dub.

Publicationes autem matrimoniales fiant tam in Parochia domicilij, quàm Collegij, Monaſterij, aut Conſeruatorij, in quo commorantur.

Carceribus quoque ex quauis cauſa ad cuſtodiam, vel ad correctionem mancipatos, ſi in illis, aut extrà illos mori contingat, non electa ſepultura, ſepeliendos eſſe in Eccleſia Parochiali, in qua retinent domicilium: Illos verò, qui domicilio caruerint, ſicut & damnatos ad Carceres in perpetuum, vel ad tempus, in Eccleſia Parochiali, cui ſubſunt Carceres, tumulandos eſſe declaramus: Eandemque diſpoſitionem ſeruari decernimus in matrimonijs contrahendis.

Decreta Em. Vic. apud *Pignatell.* tom. 7. conſ. 86.

*S.*C.Cõc. in Farſen. Matr. 26. Mar. 1707

Et ſi contingat, Regulares mori extrà Clauſtra, & in Vrbe nullum adſit Monaſterium, ſeù Domus Regularis Ordinis, quem profeſſi ſunt, aut Monaſterium, vel Domus, Eccleſia, vel publico careat Oratorio, ſepeliantur in Eccleſia Parochiali, intrà cuius limites decedunt. Si verò adſit Monaſterium ſuæ Religionis cum Eccleſia, eorum cadauera ad huius Monaſterij Eccleſiam deferantur, quatenùs ad dictum Monaſterium, & Eccleſiam delatio commodè fieri valeat, & in hoc caſu ſoluatur Parocho, in cuius Parochia deceſſit, faſciculus dumtaxàt candelarum, & Viaticum ad formam Statuti *cap.*6.§.11. Intortitia verò, cum quibus aſſociantur, inter dictam Parochiam, & Eccleſiam ſepelientem diuidantur.

Cap. Religioſi, de ſepul. in 6

Idem

§. X.

Abb. in d. c. in nostra.

Idem planè disponimus de illis, qui tempore æstiuo ad aerem salubriorem Romam se transferunt, donec transeat æstas, Domum in Burgo retinentes, dummodò pro maiori parte anni non abessent.

§. XI.

Cap. is, qui, de sepult. in 6. Stat. vet. cap. 28.

Nec dissimili ratione iudicandum est de illis, qui ruri animi, vel agri colendi gratia ruralia exerceant, si ibi non electa sepultura occumbere contingat.

ADDITIO.

Decretū Cong. deputat. an. 1704.

Si autem contingat, quemquam extrà Vrbem ex quacumque causa, non immutato tamen domicilio Vrbis, morte occumbere, & sepeliri, soluatur Ecclesiæ Parochiali Vrbis, intrà cuius limites domicilium, seù habitatio retinetur, Canonica portio non ab hærede, sed ab Ecclesia tumulante, quatenùs ibi funus factum fuerit, iura verò sepulturæ ab hærede: Si verò funus non fuerit factum in loco, in quo decessit, integrum dictæ Ecclesiæ Parochiali Vrbis deberi declaramus, & in vtroque casu absque Viaticis, & mercedibus personalibus.

Quo verò ad eos, quorum cadauera extrà Vrbem deferri contingat, vel ad Sepulchrum maiorum, vel ex electione sepulturæ, funus fiat in Parochia Vrbis præsente cadauere, & Ecclesiæ, ad quam defertur tumulandum, iura sepulturæ dumtaxàt debeantur, & in casu non factæ expositionis in Vrbe, seruetur, quod de funere non facto inferiùs *in cap.* 4. §. 2. dispositum est: At si cadauer in aliqua Vrbis Ecclesia humatum fuerit, deindè extrà Vrbem, vel ad aliam quamcumque Vrbis Ecclesiam absque nostra licentia nullatenùs transferatur, & quotiès huiusmodi translatio permittitur, fiat cum interessentia Parochi illius Ecclesiæ,

Cap. Corpora Sanctorū 37. de cōsecr.

à qua

à qua transfertur, & quoad emolumenta nulla ratio habeatur de Ecclesia, à qua, & ad quam ità transfertur, etiam Parochiali, exceptis Viaticis, seù mercedibus associantium, & Cereis, cum quibus associari contigerit, æqualiter diuidendis, & iure sepulturæ pro Ecclesia, ad quam defertur. & Rituale Rom.

§. XII.

Quisquis benè valens de vna ad aliam Parochiam animo mutandi domicilium, seù habitationem se transfert, eo ipso domicilium ipsum, quoad iura Parochialia, mutasse censeatur. Stat. vet. cap. 21. Cap. fin. cum ibi not. de Paroch. Abb. in d. c. in nostra, de sepult.

ADDITIO.

Declaramus, domicilium intelligi translatum, quotiès quis priorem deserit habitationem, & aliò se transfert præsertìm cum mobilibus, & familia.

§. XIII.

Infirmus verò, quantumuis domicilij mutandi animo discedat, non nisi duobus mensibus elapsis, nouum domicilium acquirit, quoad præiudicium prioris Parochiæ; Vndè si infrà bimestre tempus decedat, ius funerandi ad priorem Parochiam, de qua discessit, pertinere sancimus. Stat. vet. c. 25. Rot. decis. 348. n. 3. p. 11. rec.

§ XIV.

Febre quartana laborantes, licèt continuò in lecto minimè iaceant, cum nihilominùs infirmi dici possint, in prædicta regula Infirmorum recta ratione comprehenduntur.

§. XV.

Idem ſtatuimus de illis, qui licèt in lecto non iaceant, nec febre laborent, non tamen bene valere dicuntur.

§. XVI.

Exteros, Peregrinos, Vagabundos, & ſimiles, qui Domicilium habere minimè dicuntur, ad illam, in qua decedunt, Parochiam pertinere declaramus, firma tamen ſemper manente prędicta regula de Infirmis tranſportatis; Vndè ad illam pertinent Parochiam, in qua priùs infirmantur.

Abb. in c. 1. nu. 4. de Sepult.

§. XVII.

Nautas, Mercatores, & ſimiles ſuas naues ad Tyberinas Ripas applicantes, quouſque in dictis Nauibus degunt, ad eamdem Parochiam, intrà cuius limites huiuſmodi Ripæ iacent, pertinere declaramus.

§. XVIII.

Si verò extrà Nauim, atque Parochiam pernoctant, & morantur, & mori contingat, emolumenta funeris æqualitèr intèr iſtos duos Parochos diuidantur.

ADDITIO.

Diſpoſitionem huius §. declaramus eſſe intelligendam, dummodò Nautæ, Mercatores, & ſimiles non habeant alibi domicilium in Vrbe, aliàs ad Parochiam domicilij pertinere volumus, ſi verò nullum habeant domicilium, &

extra

extra Naues pernoctent, & mori eos contingat, in Parochia, in qua decedunt, sepeliantur, & emolumenta funeris æqualitèr inter Parochum, in cuius Parochia Naues stationem habent, & Parochum, in cuius Parochia defunctus pernoctauit, diuidantur; Quod si extra dictas Parochias elegerint sepulturam, seruetur dispositio *sequentis* §.19. eiusque additionis.

§. XIX.

Dubitari quoque poterit de illis, qui decedunt habentes domicilia in duabus Parochijs, quo casu statuimus, vt si in alio tertio loco sepultura fuerit electa, Canonicam portionem intèr illas Parochias, in quibus pare domicilium habebant, fore diuidendam, quod si non elegerunt sepulturam, in illa, in qua decedunt, sepeliantur, & emolumenta paritèr intèr eas diuidantur.

Stat. vet. cap.28.C. cùm quis, de Sepult. in 6.

ADDITIO.

Æquale domicilium quis habere dicatur, quoties in vtroque æqualitèr se collocasse videtur, aliàs censeatur ibi domicilium habere, vbi maiorem partem rerum suarum possidet, & assiduè conuersatur: æqualitas verò habitationis moralitèr, non mathematicè intelligatur, hoc est plus, minusue.

Stat. vet. cap.28. Cap.2.de Sep. in 6. Glos.in c. dilectus il 2.ver.Domicilium, de rescr.

Diuisio portionis canonicæ in casu, quo quis in duabus Parochijs æquale habet domicilium, & in tertia Ecclesia sepulturam elegerit, vel habuerit, ità fiet = Si peragatur funerale, & Cadauer in Ecclesia sepeliente exponatur, medietas dictæ portionis ipsius Ecclesiæ sepelientis beneficio cedat, altera verò medietas inter illas duas Parochias Domicilij diuidatur: Atsi cadauer non exponitur, seù non fit funerale, portio, seù integrum funerale inter prædictas duas Parochias dumtaxat diuidatur, si verò non elegerit sepulturam, sepeliatur in illa, in qua decedit, & emolumenta inter easdem Parochias diuidantur.

§. XX.

Dissimilis est ratio de illo, qui degens in confinio duarum Parochiarum pro ampliandis suis ędibus emit Domum vicinam alterius Parochiæ, quià cùm accessorium cedat principali, Domus empta incorporatur cùm ea, cui iungitur, & fit eiusdem Parochiæ, dummodo nobilior, seù amplior existat.

§. XXI.

Familiares, & famuli Cardinalium, seù aliorum Principum, & Prælatorum, necnon aliorum quorumcumque, qui habent Domum, & familiam in alia Parochia, ad illam pertinere statuimus, licet apud Dominos infirmentur, & occumbant.

ADDITIO.

Huiusmodi familiares, etiam si sint Summi Pontificis, habentes domum, & familiam in alia Parochia si apud Dominos continuò commorentur, & pernoctent, tanquàm habentes duo æqualia domicilia reputentur.

Milites verò, qui in Stationibus, seù Quarterijs pernoctant, & extra illas habent propriam domum, seù domicilium, ad Parochiam domicilij spectent, exceptis Militibus Præsidiarijs Magnæ Arcis S. Angeli, quatenùs ibi diu, noctuque commorentur, & moriantur, quos tunc ad Parochiam eiusdem Arcis, seù B. M. Transpontinæ dumtaxàt spectare declaramus.

§. XXII.

Eadem planè ratione iudicandum est de Artificibus, qui manent in Camera locanda, ibique pernoctant,

ctant; die verò inseruiunt Dominis habentibus officinas in diuersa Parochia, vel ibi operantur.

§. XXIII.

Vxor verò decedens non electa sepultura, in sepultura Viri tumulanda est, licèt sit Vidua, & ad Domum Patris regressa; quod si plures habuerit Viros, ad vltimi Sepulchrum pertinebit.

Cap. de vxore, de Sepult. c. is, qui §. mulier, eod. in 6.

§. XXIV.

Filij impuberes, sicut testari non valent, pariter nec sibi Sepulturam eligendi facultatem habent.

C. de vxore §. vtrũ, de Sepult.

§. XXV.

Nec minus Parentes pro ipsis Sepulturam eligere possunt, sed in Sepulchro maiorum, vel in propria Parochia sunt tumulandi, vetustissimam Vrbis consuetudinem secuti.

C. licet, de Sepult. in 6.

§. XXVI.

Si contingat, Canonicum, vel Beneficiatum in Vrbe decedere non electa Sepultura, sit in arbitrio hæredum sepeliendi, vel in Ecclesia, in qua Beneficium obtinet, vel in Sepulchro Maiorum, si habet, vel in propria Parochia, cui semper Canonica portio firma remaneat.

C. vnaquæque §. Ioseph 13. qu. 2.

§. XXVII.

Sint autem memores non solùm Parochi, sed etiam alij quicumque Bonifacianæ Constitutionis, qua sub gra-

C. 1. de Sepult. in 6. Clem.

cupientes §.Sanè,de pœnis. grauissimis censuris, & pœnis cauetur, ne quis inducat aliquem ad vouendum, iurandum, vel aliàs promittendum de eligendis Sepulturis apud eorumEcclesias, vel electis non mutandis.

ADDITIO.

d. cap.1. de Sep.in 6. & dicta Clem. cupientes de pœnis.

Sciant Regulares, & Clerici Seculares quicumque, se se incursuros pœnas à Sacris Canonibus inflictas, præsertim excommunicationis Sedi Apostolicæ reseruatæ, si aliquem ad vouendum, iurandum, seù fide interposita, vel aliàs promittendum inducant, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iàm electam vlteriùs non immutent.

Concil. Mediol. VII.

Pari, ac maiori ratione Seculares quicumque, & Confratres Societatum Secularium quarumcumque similitèr inducentes quemquam ad eligendam sepulturam in proprijs Confraternitatum Ecclesijs, vel Sepulchris, vel vt iàm electam non mutent, ipso facto incurrant in excommunicationem (& hoc facto verbo cum Sanctissimo) Nobis, & Eminentissimis Vicarijs pro tempore reseruatam, à qua non possint absolui, nisi facta restitutione Cadaueris, & omnium emolumentorum, vltrà alias pœnas nostro, nostrorumque Successorum arbitrio infligendas.

Synod. Perusin. Episc. Comitol. Anni 1600.§ de Sepult. cap.4.

Hinc cuicumque Clerico, vel Seculari, vel Regulari, aut Confratri etiam Laico dicenti, in Ecclesia sua, vel sepulchro sepulturam elegisse, nulla fides adhibeatur, nisi de hac re Testes adducat fide dignos, & non suspectos, qui sibi familiares non sint, vel personæ eius loci, vel Ecclesiæ, apud quam sepulturam eligere voluisse asseritur. Electionem verò sepulturæ generalitèr factam per Statutum Confraternitatis, vel per ipsos Confratres in eorum adscriptione penitùs improbamus.

§. XXVIII.

Stat. vet. c.26.

Alienum Parochianum sepelire nemo potest, & qui contrarium facere præsumpserit, ipsum Cadauer, seù

seù ossa cùm omnibus emolumentis illius occasione perceptis proprio Parocho absque vlla exceptione restituere debere, explorati Iuris est. c. ex parte, & seq. de sepult. c. in nostra, eod.

ADDITIO.

In casu litis inter duas, vel plures Ecclesias circa sepulturam Cadaueris, cum illud tumulatur in Parochia, in qua decessit, loco depositi, quousque de bono Iure maturiùs videatur, & finita lite ad aliam Ecclesiam, ad quam spectare iudicatum fuerit, deferri contingat, huiusmodi delatio priuatim, & de nocte fiat absque vlla pompa, & interuentu nec Regularium, neque Confraternitatum, nec Camerarij Cleri.

§. XXIX.

Cadauera occisorum, qui ex ordine Gubernatoris Vrbis in plateis ad effectum eadem recognoscendi exponuntur, in Ecclesia dicto Cadaueri viciniori Parochiali sepeliantur, dummodò proprium non habeant domicilium.

ADDITIO.

Cadauera occisorum, vel qui in flumine pereunt, sepeliantur in Ecclesia viciniori, nempè in illa Ecclesia Parochiali, intrà cuius fines remanet Cadauer postquam à Ministris Curiæ recognitum fuerit, nisi proprium habeant domicilium, vt dictum est, quo casu seruetur dispositio *cap.*4. §.8., vel nisi proprium, vel maiorum habeant sepulchrum, nec priùs ad Ecclesiam deferantur, quàm fuerint à Curia inspecta, quod si postquam illata eò sint, voluerit eadem Curia illa inspicere, id sine speciali licentia Eminentissimi D. Card. Vicarij, vel eius Reuerendissimi D. Vicesgerentis fieri prohibemus iuxtà Sac. Congregationis decreta, & tunc recognitio, seù inspectio fiat extra Ecclesiam, & locum Religiosum. Quod si in casu necessitatis opor-

oporteat deferri de nocte, nihil prætendi possit à Camerario Cleri ratione huiusmodi nocturnæ delationis.

§. XXX.

C.Sacris, de sepult. Clem. 1. eod. Ritual. Rom. de exequijs, tit. quibus non licet dare Ecclesiasticam sep.

Non licèt tamen omnes mortuos Ecclesiasticæ tradere Sepulturæ, quibus enim non communicamus viuis, nec mortuis communicare debemus; Vnde carebunt Ecclesiastica Sepultura Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, Qui sibi mortem consciuerunt, & similes adnotati in Rituali Romano iussu fel. record. Pauli Papæ V. edit. titulo de Exequijs.

ADDITIO.

Pro his, qui carent Ecclesiastica sepultura, vt sunt hæretici, alijque infideles, necnon Catholici, qui notoriè impœnitentes decedunt, & in loco vulgo dicto *Muro torto* sepeliuntur, si aliquod emerserit dubium, an in Communione Catholica, vel statu pœnitentiæ obierint, ad Eminentissimum Vicarium, vel Reuerendissimum Vicesgerentem deferatur.

Decretū Congreg. Præfectorum Cleri Rom. 20 Dec. 1705

Cadauera verò infantium, qui sine Baptismo moriuntur, propè Ecclesiam, sed in loco non sacro ad id specialitèr constituto tumulentur, fœtus tamèn in ventre Matris existens tanquàm viscerum eius pars cum Matre sepeliatur: Pro quo tamèn, ac pro cæteris supradictis, qui non sepeliuntur in loco sacro, nihil Parocho ratione funeris debeatur.

De Canonica Portione.

CAP. IV.

§. I.

QVoties defunctus in propria Parochia sepelitur, omnia intortitia, vel faculæ, quæ in ipso funere accenduntur, siuè circà feretrum, siuè antè, siuè retrò deferantur, siuè intrà Ecclesiam, siuè extrà eam, siuè ab hæredibus defuncti, siuè à quocumque alio, etiam si à Capitulis, siuè Sodalitatibus Secularium in honorem defuncti, siuè alio quouis prætextu accendantur, ad ipsam Parochiam absoluto funeris officio pleno iure spectent, nisi aliàs ex Consuetudine ad Sacristiam Collegiatarum Ecclesiarum pertinerent. c. 1. c. relatum, & c. de his, de sep. S. Carolus in Concil. Prou. de funer. & exequ.

ADDITIO.

Libri, Annuli, Ensis, Vexilla, Equi, Rheda, Cruces, Habitus, seù insignia Ordinum, vel Dignitatum, & alia huiusmodi ornamenta, quæ cum Cadauere deferuntur, si ab Hærede donentur Ecclesiæ Parochiali, absoluto funere dictæ Ecclesiæ beneficio cedant; Si verò donentur Ecclesiæ sepelienti, vel exponenti, intèr ipsam, & Ecclesiam Parochialem diuidantur, vel si non patiantur diuisionem, pretium eorundem pariformitèr diuidatur: Quod si ab hæredibus expleto funere repetantur, nihil de his Parocho, vel Ecclesiæ exponenti, aut sepelienti deberi statuimus. Decretū Congreg. Deputatę ann. 1704

In quocumque funere nihil prætendi possit pro armis, seù insignijs non appositis: Si autem apposita fuerint in quantitate, & qualitate hæredi beneuisis, integra debeantur Ecclesiæ Parochiali, si in ipsa Cadauer exponitur, sed si Cadauer exponitur in alia Ecclesia, in qua sepelitur, diuidenda esse statuimus iuxtà modum præscriptum *in add. ad* Dec. dict. Congreg.

 §. 2.

§. 2. *huius Cap. verſ. medietatem, & verſ. Quemadmodum & integrum funerale*. Et ſi hæres illa redimere velit, dimidium pretij ſoluere teneatur: Prò illorum tamen affixione in parietibus extimis Eccleſiæ Parochialis, vel exponentis, nihil ſoluere teneatur pro numero armorum redemptorum, ſed ſi in maiori numero affigantur, pro illis ſoluat paritèr dimidium pretij: In caſu verò, quo hæres nullo modo apponat arma in funere, ſed illa affigere faciat in parietibus exterioribus Eccleſiarum, tunc pro quantitate affixa dimidium pretij vt ſuprà tantummodò Eccleſiæ Parochiali ſoluere teneatur.

§. II.

c. certificari, & c. cum ſuper, vbi Abb. de ſepult. Stat. vet. cap.24.

Quod ſi in aliena Parochia tumuletur, ſiuè quià ibidem habeat ſepulchrum, ſiuè quià ibi ſepulturam elegerit, tunc, & eo caſu proprius Parochus pro Canonica portione dimidium totius Ceræ ex antiquiſſima Vrbis conſuetudine habeat.

ADDITIO.

Stat. vet. c.24.31.& 5.. Ror. in Senogall. 4. fun. 11. Ian. 1686. §. Deniq; cor. Rondin. Decret. Vrb. VIII & Cong. part. in fine Stat.

Medietas totius Ceræ, quæ in ipſo funere accenditur, ſiuè circà feretrum, ſiuè antè, ſiuè retrò deferatur, ſiuè intrà Eccleſiam etiam in Altaribus in honorem alicuius Sancti, ſiuè extrà eam, ſiuè ab hæredibus Defuncti, ſiuè à quocumque alio (*vt in Superiori* §. 1. dictum eſt) in honorem Defuncti, ſiuè accendatur ad hoc, vt Regulares, & Confratres, alijque Proceſſionem funebrem aſſociantes tempore nocturno viam videre poſſint, ſiuè alio quocumque prætextu, Eccleſiæ Parochiali debeatur, quoties defunctus extrà illam tumulatur in Sepulchro maiorum, vel beneficij, vel ex propria electione, ex vetuſtiſſima Vrbis conſuetudine, & Cleri Concordia tempore ſ. m. Bonifacij IX., cùm Regularibus, Hoſpitalibus, alijſque Pijs Locis inita, necnon iuxtà diſpoſitionem antiquiſſimi Statuti eiuſdem Cleri Vrbis, à ſ. m. Eugenio IV. in forma ſpecifica confirmati, & tandem ex Decreto Generali ſ. m. Vrbani VIII. etiam quoad Regularium, Nationalium, ſeù aliàs Priuilegiatorum Eccleſias, addita ſententia Congregationis Particularis à ſ.m., Innocentio X. deputatæ, in calce præſentium Statutorum adiectis.

Ex-

Exceptæ intelligantur à præfato diuisionis onere candelæ, quæ præmanibus Sacerdotum, etiam Regularium, vel Confratrum funu associantium, hæredis arbitrio distribuuntur, quas deferentes sibi quærant, & qui intersunt funeri cùm Stola, habeant duplicatas iuxtà *cap.*5. §. 6. earumque distributio fiat iuxtà ordinem processionis, incipiendo à digniori; Excipimus etiam intortitia, quæ forsan in Missa Cantata præsente Cadauere tempore eleuationis ab Ecclesia ipsa verè de proprio, & non per hæredes, eorumuè iussu, vel alios defuncti benefactores accendi, seù deferri contigerit; Non tamen intortitia, vel Cereos, qui deferuntur, seù accenduntur per viam in honorem defuncti, iuxtà dispositionem §.1. *& præsentis additionis*, etiam si deferantur in funere Cardinalium ab eorum famulis, siuè familiaribus quibuscumquè, vel à Regularibus, Confratribus, alijsque etiam causa luminis, aliouè quocumque prætextu, vt superiùs declarauimus.

Extrau. Inter cun ctas §. por rò, de priuileg.

Medietatem verò Ceræ Ecclesiæ Parochiali deberi declaramus, quatenùs celebretur funus præsente cadauere in Ecclesia, ad quam delatum fuerit ratione sepulchri maiorum, beneficij, vel electionis sepulturæ: Quod si in ijs Ecclesijs funus non celebretur, illud taxari mandamus per Reuerendissimum D. Vicesgerentem nostrum iuxtà regulam paulò inferiùs traditam, & reipsa, ac omninò peragatur in Ecclesia Parochiali, ad quam dumtaxat integrum pertinere decernimus.

Quoties autem contingeret, vt hæredes, vel alij, ad quos spectat, non facerent siuè in Parochiali, siuè in Ecclesia sepeliente, vel exponente funerale iuxtà qualitatem personæ defuncti, soli Parocho reseruatum sit ius petendi supplementum, quod pariter taxandum relinquitur arbitrio Reuerendissimi nostri Vicesgerentis, illud regulando iuxtà defuncti vires, & qualitatem, non tamen excedendo infrascriptum numerum intortitiorum, videlicèt: Pro Principibus, & Ducibus, octuaginta, ponderis quatuor librarum ceræ pro singulis; Pro Marchionibus, Baronibus, secundogenitis Principum, seù Domicellis familiarum Illustrium, & Prælatis, quadraginta, eiusdem ponderis; Pro Equitibus, Personis cùm rheda splendidè viuentibus, Aduocatis

Dec. Cõg. Deputatæ ann. 1704. Rota in Romana funeralis 24. April. 1690. cor. Eminentiss. Caprara, & in alia 15. Iunij 1699. cor. R.mo Molines.

tis Conciſtorialibus, & Canonicis trium Baſilicarum Patriarchalium, triginta, ponderis trium librarum; Pro Canonicis Collegiatarum, Beneficiatis pinguis redditus, Mercatoribus, aliiſuè perſonis opulentis, viles artes actualitèr non exercentibus, viginti, eiuſdem ponderis; Comprehenſis tamen in præfato numero, & in omnibus dictis caſibus intortitijs, quæ in aſſociatione cadaueris deferuntur: Non poſſit verò peti ſupplementum, quoties expoſitio cuiuſcumque generis prædictarum perſonarum deficeret in duobus ſolùm intortitijs, vel fieret etiam in minori numero intortitiorum, quæ tamen eſſent tanti ponderis, vt æquipollerent numero præfixo præfatarum perſonarũ qualitati.

Pro cæteris perſonis in Vrbe, vel extra defunctis prætendi nequeat funus non factum, aut ſupplementum, ſed ſit in arbitrio hæredum exponere cadauera defunctorum, & in expoſitione apponere intortitia in numero ſibi beneuiſo, dummodò in aſſociatione cadaueris è Domo ad Eccleſiam, quoties non fuerint pauperes, vltra alia emolumenta præſcripta deferant cereos accenſos iuxtà Ritum S.R. Eccleſiæ, (qui ob ſanctiores ſignificationes in funere nunquam omittatur) nec antè reſtinguantur, quàm ſacro officio ſepulturæ ritè expleto.

Rituale Rom. tit. de exeq. Conc. Prou.VI. & part.4. Inſtruct. Mediol.

Quemadmodum & integrum funerale debeatur eidem Eccleſiæ Parochiali, quoties defuncti cadauer in ipſa, non autem in ſepeliente exponitur, vel etiam, quando exponitur, aut ſepelitur in alia Eccleſia ex permiſſione proprij Parochi, vel quando exponitur in tertia Eccleſia diuerſa à Parochiali, & ſepeliente ex electione defuncti, vel hæredis, ſeù prò commodo expoſitionis, exceptis depoſitis Cadauerum prò ſepultura ad tempus, & funeribus Cardinalium, in quibus ad formam §.4. *& 7. huius Capitis*, intèr Parochialem, & deponentem, ſeù exponentem funus diuidatur. Intortitia verò, cùm quibus defunctus ad dictam Eccleſiam exponentem aſſociatur ex electione defuncti, ſeù in funeribus Cardinalium, diuidantur intèr ipſam, & Eccleſiam Parochialem, cui etiam debeantur omnia intortitia, cùm quibus cadauer defertur à d. Eccleſia exponente ad Parochialem, quando in iſta ſepelitur, vel prò medietate eidem Parochiali, & prò alia medietate Eccle-

Infrà §.6. & §.11.

siæ sepelienti, quoties cadauer extrà Parochialem Ecclesiam tumulandum deferatur.

Pro expositione verò facienda magìs in vno, quàm alio loco Ecclesiæ, siuè in medio, siuè in aliqua naui, Cappella, aliaue parte eiusdem Ecclesiæ nihìl prætendi posse decernimus, sicut nec pro Cerostatis, seù Torcerijs vsque ad numerum duodecim in ipsa expositione adhibitis: Quod si vltrà prædictum numerum adhibeantur, tùnc pro singulis ratione conducturæ, delationis, reportationis, alioue quocumque titulo non plusquàm iulij quarta pars exigi possit.

§. III.

Candelæ, seù intortitia, quæ circà cadauer, siuè in Domo, siuè in Ecclesia, in qua loco depositi permanserit, fuerint accensæ, ad illum Parochum pertineant, in cuius Parochia decesserit, etiamsi ille esset Vicarius perpetuus, cui etiam debetur viaticum, & solitus Parochorum candelarum fasciculus. Stat. vet. cap. 23.

§. IV.

Si verò in alia tertia Ecclesia cadauer deponatur, inter illam, & Parochum prædictum candelæ, seù intortitia, quæ superfuerint, diuidantur. Rota in supracit. Romana funeraliũ §. 27.

§. V.

Intortitia, seù faculæ, quæ accensæ deferuntur; cùm cadauer ad propriam Parochiam loco depositi defertur, in lucrum ipsius Ecclesiæ ex recepta Consuetudine cedant; & si hæredes defuncti velint illas ità accensas circà cadauer permanere, illarum æstimationem soluant.

Ca-

§. VI.

Cadauera extrà limites Parochiæ, in qua obierunt, absque eiusdem Parochi licentia in depositum non ponantur.

§. VII.

Rota vbi suprà, & in Rom. iuris tumulandi 20. Febr. 1702. §. fin. coram Priolo.

Cardinalium cadaueribus exceptis, quæ ob exequiarum commodiorem vsum in Ecclesijs vicinis amplioribus deponi consueuerunt, quo tamen casu residuum intortitiorum, quod superest, cùm ad sepeliendum defertur, inter eandem Ecclesiam, & proprium Parochum, vt superiùs dispositum est, diuidatur.

ADDITIO.

Declaramus, huiusmodi dispositionem locum habere, quotiès Ecclesia Parochialis, vel illa, in qua cadauer tumulari debet, non esset ità amplior, siuè capax, vt in ea commodè Cardinalium exequiæ celebrari valeant, aliàs si in aliqua ex dictis expositio Cardinalis defuncti commodè posset celebrari, in ipsa omninò fieri debeat; Quod si in alia tertia Ecclesia fiat, tùnc residuum intortitiorum, quod superest, seù integrum funerale ad Parochialem Ecclesiam spectet.

Insuper declaramus, non procedere quoad sacra indumenta, de quibus nihil Ecclesiæ depositariæ debeatur, sed ea integrè spectent ad Ecclesiam Parochialem, si in ea cadauer sepeliatur; si verò in alia Ecclesia, tùnc inter Parochialem, & sepelientem diuidantur.

§. VIII.

Suprà c. 3. §. 29.

Qui morte subitanea, vel violenta extrà propriam Parochiam decedunt, vel occiduntur, seù in flumine pe-

pereunt, in Ecclesia viciniori in depositum ponantur, vt posteà proprio Parocho admonito, de licentia Superioris debito loco tumulentur.

§. IX.

Et si quidem positæ fuerint candelæ, seù intortitia circà cadauer, quæ remanserint, diuidantur, vt suprà, inter dictas Ecclesias, etiamsi prædictum cadauer in eadem Ecclesia remaneat, in qua fuit depositum.

ADDITIO.

At si cadauer ad Ecclesiam Parochialem efferatur, & tempore delationis intortitia, vel candelæ fuerint accensæ, integrè ad eandem pertineant; sin autem ad aliam Ecclesiam tumulandum deferatur, inter istam, & propriam Parochialem vt suprà æqualiter diuidantur.

§. X.

Qui moriuntur in Hospitalibus, & extrà propriam Parochiam sepulturam eligunt, seù ad sepulchrum maiorum suorum deferuntur, absque proprij Parochi præsentia, interuentu, vel licentia non amoueantur, & illi etiam debentur omnia emolumenta non secùs, ac si extrà Hospitale decessissent.

ADDITIO.

Declaramus, ægrotantes non pauperes decedentes in Hospitalibus non eximi à solutione emolumentorum funeralium fauore proprij Parochi.

Quibuscumque igitur decedentibus in Hospitalibus, vel Hospitijs ius sepeliendi non habentibus, idem seruetur, quod de Scholasticis dispositum fuit *in cap. 3. §. 9.* At deceden-

S. *Cong.* *Conc.* in Suessana Iuriũ Parochial. 7. *Sep.* 1697 ad 1. Dub.

Concordia, Statutum, & Placita Summorum Pontificũ, de quibus supra in add. ad §. 2.

dentes in Hospitalibus, vel Hospitijs ius sepeliendi habentibus, quantumuis priuilegiatis, & exemptis, quotiès extrà propriam Ecclesiam Parochialem sepulturam eligunt, vel ad sepulchrum maiorum deferuntur, siue in Ecclesia exteriori, seù publica eiusdem Hospitalis, siue magna, siue parua, etiam in Cappella exponuntur, Canonica portio propriæ Ecclesiæ Parochiali ab Ecclesia tumulante, seù exponente debeatur, alia verò emolumenta ab hærede: In casu autem funeris non facti integrum Parochiali Ecclesiæ ab hærede debeatur.

Emolumenta tamen funeralia Hospitali ius sepeliendi habenti, seù illius Ecclesiæ exponenti, & sepelienti eodem prorsùs modo deberi, ac taxari mandamus, quem cęteræ Vrbis Ecclesiæ exponentes, & sepelientes obseruare debent, nullatenùs duplicanda, aut quomodocumque augenda sub quouis colore, vel titulo etiam mercedis Confessariorum, Cappellanorum, Officialium, & Assistentium Hospitalis, aut prætextu Consuetudinis, vel Taxæ particularis, quas irritas, & inanes esse decernimus.

§. XI.

Si quando Parochus hæredibus defuncti extra Parochiam tumulandi licentiam concedat, emolumenta Parochiæ salua semper esse intelligantur, vndè valor intortitiorum remanentium in Ecclesia, in qua humatur, eidem Parocho à prædictis hæredibus soluatur.

§. XII.

Indumenta sacra, quæ deferuntur cum cadaueribus Sacerdotum, Prælatorum, Abbatum, & similium, si in propria Parochia sepeliri contigerit, lucro ipsius Ecclesiæ cedant, si verò extrà Parochiam tumulentur, inter Ecclesiam, in qua sepelitur, & ipsam Parochiam æqualiter diuidantur (nisi aliud sit conuentum inter par-

partes) : Priuatis verò Sacerdotibus, & præsertim pauperibus, qui non habent prædicta indumenta, de proprio gratis ab Ecclesia, in qua tumulandi sunt, dentur.

ADDITIO.

Indumenta sacra declaramus in præsenti dispositione non intelligi de Rocchetto, aut Superpelliceo Prælatorum, & aliorum in Sacris non constitutorum, quibus gratis restituantur. Decretū Cong. deput. ann. 1704.

Nec itidèm comprehendi Subdiaconos, & Diaconos, nisi sint Cardinales, Prælati, Canonici trium Basilicarum Patriarchalium, vel Collegiatarum Vrbis, Beneficiati dictarum Patriarchalium, vel titulo Principis, Ducis, Marchionis, Comitis, & Baronis decorati.

Sub nomine Abbatum, & similium intelligantur Abbates mitrati, Canonici, & Beneficiati dictarum trium Patriarchalium, & Canonici Collegiatarum Vrbis, & Cathedralium extrà Vrbem, ac Beneficiati habentes Beneficia annui valoris scutorum centum, necnon prædicti Titulis Principis, Ducis &c. decorati, quorum omnium, ac illorum *in præcedenti* §. sub nomine Diaconorum, & Subdiaconorum comprehensorum sacra indumenta, si de proprio deferantur, lucro Ecclesiæ iuxtà dispositionem *dicti* §. 12. cedant.

Quod si hæredes talia indumenta redimere velint, vel illa ab Ecclesia sepeliente commodata fuerint, tùnc si defuncti sint Cardinales, scuta viginti; si Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Præsules, Abbates mitrati, Canonici trium Patriarchalium Vrbis, vel Principes, Duces, cæterique Titulati, vt suprà, scuta decem; si Canonici Collegiatarum Vrbis, vel Cathedralium extrà Vrbem, aut Beneficiati dictarum trium Patriarchalium, scuta quinque; si Beneficiati dicti annui redditus scutorum centum, scuta quatuor, dentur integra Ecclesiæ Parochiali, vel diuidenda cum sepeliente, vt in *eodem* §. 12.

Hæc sacra indumenta, quæ lucro Ecclesiæ cedunt, vendi, vel in alios vsus prophanos conuerti prohibemus, sed

eiusdem Ecclesiæ sacris vsibus dumtaxàt applicari mandamus : Si autem cadauera extrà Parochialem Ecclesiam tumulentur, tùnc prædicta indumenta alijs Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis vendi permittimus, & pretium æqualiter inter vtramque Ecclesiam diuidendum in dictos sacros vsus conuertatur.

Rituale Rom. tit. de Exeq. Edictum Emi Vic. in fine Statutorum.

Omnes tamen Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, etiamsi miserabiles sint, mandamus deferri cum vestibus eorum Ordini conuenientibus iuxtà Rituale Romanum, sub pœnis latis in nostro *Edicto sub die 4. Februarij* 1705., quo etiam expresè sub eisdem pœnis cauetur, ne omnium Ecclesiasticorum cadauera cum habitu cuiuscumque Religionis, vel sacco cuiuslibet Societatis Secularis deferantur, vel exponantur, sed cum sacris vestibus dumtaxàt eorum ordini congruis, etiamsi mori, vel exponi contigerit in Hospitalibus, vel Archihospitalibus, in quibus insuper eorundem cadauera denudata, & absque decenti indumento nullatenùs sepeliantur, sub pœna Officialibus arbitrio Emin. D.Card.Vicarij infligenda.

Pro vestiendo, & expoliando Ecclesiasticorum cadauera indumentis sacris, dentur quinque iulij, & quatenùs talia indumenta ab Ecclesia commodentur, vocetur ad hoc Minister eiusdem Ecclesiæ; Si autem de proprio afferantur, hæres vtatur persona Ecclesiastica per ipsum eligenda; Quod si contingat, cadauer vestiri in Ecclesia, tùnc ad Ministrum eiusdem Ecclesiæ spectet.

§. XIII.

Infrà c.5. §. 21. in add.

Caueant omninò Parochi, vel Sacristæ, & quicumque alij Ecclesiarum Ministri, ne permittant aperiri cadauera absque expressa Reuerendiss. D.Vicesgerentis in scriptis licentia, & tùnc nec intrà Ecclesiam, nec Sacristiam fieri permittatur.

§. XIV.

Illud etiam aduertant, ne pauimentum Ecclesiæ

rum-

rumpi sinant ad foueam eruendam pro cadauere humando, nisi hæredes defuncti eandem muro vallare parati existant.

A D D I T I O.

Et, vt in Ecclesijs nihil indecens habeatur, aduertant etiam Ecclesiarum Rectores, ne in sepulchrorum tegumento Crux, sacraue alia Imago sculpatur, nec item effigies aliqua, vel litteræ, aut bustuaria, siue Epitaphia, vel Inscriptiones, aut aliud omninò quidquam, quod pauimentum Ecclesiæ, vel minimum excedat, superetue, nec effodiatur, aut capsæ, & alia cadauerum conditoria super terram existant, sed ad præscriptum Constitutionis B. Pij V. defunctorum corpora in tumbis profundis infrà terram collocentur; Neque sepulturæ fiant intrà Chorum, nec propè Altaria iuxtà Rituale Romanum, & Sac. Cong. Decreta; nec quidquam aliud, quod ab Eminentissimo D. Card. Vicario, vel eius Reuerendissimo D. Vicesgerente probatum anteà non sit, sub pœnis eidem Eminentissimo reseruatis in quolibet casu contrauentionis in supradictis.

Decr. Sac. Cong. Visit. Apost. ann. 1675

B. Pius V. in Const. incip. Cũ primum Apostolatus §. 6.

Rituale Rom. vbi suprà, & Conc. Mediol.

§. XV.

Curent autem Mandatarij, vt in intimando horam certam nuncient, alioquìn fas sit Religionibus, & Confraternitatibus, alijsque inuitatis vna hora suprà intimatam expectata, ad eorum Domum regredi, facta tamen priùs protestatione coràm Cleri Camerario, vel Parocho, & nihilominùs hæredes defuncti solitam mercedem præstare teneantur, non secùs, ac si funeri interfuissent.

De Ordine procedendi in Funeralium Processionibus.

CAP. V.

§. I.

Rituale Rom. de Exequijs titul. Exequiarum ordo. S. Congr. Conc. 16. Ian. 1649.

STatuimus, & ordinamus, vt omnes, qui fuerint ad funus intimati, siuè sint Clerici tam Sçculares, quàm Regulares, siuè laicorum Confraternitates, hora intimata ad Ecclesiam Parochialem, intrà cuius limites cadauer existit, simùl conueniant.

§. II.

S. Congr. Episc., & Regul. in Castellaneten. 3. Ian. 1594. & S. Cõg. Concil. in Sauonen. 19. Dec. 1671. ad 5.

Et in primis Parochus Mandatarium suum de via, qua ducendum est funus, admoneat, ne posteà in ipso itinere super hoc cum hæredibus defuncti contentio oriatur, si fortè vellent per longiores, ac impertinentes circuitus peragrare.

ADDITIO.

Si plures Parochi funeri intersint, ad Parochum proprium defuncti Mandatarium suum admonere spectet de via, qua ducendum sit funus, necnon inuitare Presbyteros ab hærede requisitos, præferendo tamen eorundem Parochorum Viceeuratos.

§. III.

Quo casu ab ipso Parocho, discretè tamen resecandum erit, prout sibi expedire videbitur; Aduertendo semper (quoad fieri licebit) vt hæredes defuncti satisfacti remaneant, ne afflictio afflictis addatur.

Dein-

§. IV.

Deindè cùm accedendum est ad locum cadaueris; Campanæ eiusdem Ecclesiæ iuxtà Rituale Romanum, & more solito pulsentur, & cum silentio bini, & bini ordinatè incedant. Rituale Rom. loc. cit.

§. V.

Postmodùm idem Parochus ad ipsum cadauer cum Aspergulo, ac Rituali accedat, precibusque in ipso Rituali præscriptis recitatis, Aqua benedicta & ipsum cadauer, & adstantes aspergat, statìmque ad Clerum reuertatur. Rit. Rom. vbi suprà.

§. VI.

Interìm distribuantur candelæ ipsi Clero, & Stolas deferentibus dentur duplicatæ. Rituale cit.

§. VII.

Demùm procedant omnes gradatìm sub vna tantùm Cruce, illius videlicèt Ecclesiæ, ad quam cadauer tumulandum defertur, nec alia Crux, siue Crucifixus sub quouis prætextu, vel consuetudine, quæ potiùs dicenda est corruptela, erigatur, siuè sit propriæ Parochiæ, siuè Regularium, siuè laicorum Confraternitatum, siuè etiam Capitulorum, Collegiatarum, etiam Insignium, & Patriarchalium. S.C. Rit. 2. Aug., & 12. Febr. 1635., & in Camerinen. 21. Nouemb: 1637., & pluriès. Infrà c. 7. §. 3.

A D D I T I O.

Confraternitates paruum vexillum, seù signum ante Societatem posse solùm deferre permittimus, non autem illud

illud erigere in Ecclesia quacumque etiam ipsius Confraternitatis præsente Cruce, seù erectum retinere propè feretrum vsque ad finem Officij, sed in aliquo eius angulo deponere teneantur: Ecclesias tamen earundem Confraternitatum, in quibus cadauer tumulandum venit, posse deferre propriam Crucem ad formam resolutionis Sacræ Congregationis Concilij, scilicèt, vt præcedat Confraternitas, deindè Crux eiusdem Ecclesiæ deferenda per Clericum ipsius, posteà sequatur Clerus Regularis, & tandèm Secularis, vt in Decreto *infrà in cap.7.* exarato.

Infrà c.7. §. 8. in add. vers. Ad primũ

§. VIII.

Rituale Rom. vbi suprà.

Primò incedant Orphani, posteà Confraternitates Laicorum iuxtà earundem ordinem, sequantur Regulares, & tandèm Presbyteri, & vltimo loco Parochi iuxtà Rituale Romanum prædictum.

§. IX.

Inter ipsos autem Parochos, ille, in cuius Parochia tumulandus obijt, vsque ad fores Ecclesiæ, ad quam funus defertur, semper præcedat; ibique more solito faciat absolutionem, atque hæredes, seù consanguineos defuncti, illosque associantes dimittat, aqua benedicta aspergendo.

ADDITIO.

Si verò in tertia Ecclesia Parochiali cadauer est tumulandum, tùnc inter Parochos, qui cum Stola pares progrediantur, digniorem locum habeat is, in cuius Parochia tumulandus obijt, & peragat functionem super cadauere præscriptam *in* §. 5. *huius capitis*. Secundum locum obtineat proprius Parochus, qui ad fores Ecclesiæ sepelientis absolutionem faciat iuxtà *hunc* §. 9.. Tertio loco incedat Parochus Ecclesiæ sepelientis, qui in ea Officium prosequatur,

tur, vt in *seq.*§.10.assistentibus quoq; si velint,cum stola Parochis supradictis, & tùnc medium, seù primum locum teneat Parochus Ecclesiæ sepelientis, secundum à dextris Parochus proprius, & tertium à sinistris Parochus, in cuius Parochia defunctus ipse decessit. Substitutos autem in locum cuiuscumque ex prædictis Parochis,etiam Patriarchalium Ecclesiarum, concurrentibus Parochis semper vltimum locum tenere in processione, at in functionibus peragendis, vel nullo ex Parochis interessente inter ipsos præmemoratum ordinem seruari statuimus.

§. X.

Interìm Parochus, siuè alius Sacerdos eiusdem Ecclesiæ, ad quam cadauer delatum est, indutus Cotta, & Stola,vel etiam Pluuiali nigri coloris, prosequatur Officium à Rituali Romano præscriptum: Reliqui verò Sacerdotes tàm Sęculares, quàm Regulares circà Feretrum ordinatìm distributi candelas accensas in manibus tenentes vsque ad finem Officij alternatìm psallant. Rituale Rom. loc. cit.

ADDITIO.

Cadauera defunctorum cuiuscumque gradus, & dignitatis sint, siuè pauperes, siuè diuites, super feretrum, nunquàm verò humi etiam cum culcitra, vel sine illa exponantur sub pœnis latis *in nostro Edictu sub die 9. Decembris 1704.*, neque feretrum collocetur super scamna, aùt quocumque modo eleuetur. Edictum Emi Vic. in fineStatutorum.

Si hæredes Missam, vel Officium cantari petant, illa cantentur præsente cadauere iuxtà laudabilem ritum S. R. E., si autem ob magnam diei solemnitatem, aliamuè rationabilem causam contingat celebrari, & recitari, etiam corpore non præsente, siuè in Ecclesia Parochiali, siuè tumulante, siuè exponente, non possint in vtroque casu reliquæ duæ Ecclesiæ prætendere, quod etiam in ipsis peragantur. Rituale Rom. d. tit. de Exequijs in princ. & circà fin.

tur.

tur. Pro qua Miſſa cantata, ſi ſine Miniſtris paratis celebretur, eleemoſynam iuliorum decem, ſi cum Diacono, & Subdiacono, iuliorum quindecim, ac totidèm pro recitando Officio Defunctorum taxamus in quibuſcumque Eccleſijs tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Collegiatis, & Patriarchalibus (quotiès non fuerint inuitati Canonici in Miſſa) non excedendam ſub quocumque prætextu, etiam maioris numeri Aſſiſtentium, & Miniſtrorum, vel canentium in Choro, vel interuentus Superiorum, & ſi aliquid fuerit exactum, vel ſolutum vltrà prædictam ſummam, repeti poſſit, & ſit ad placitum hæredis diſtribuere candelas in eadem Miſſa, vel Officio, & ſi diſtribuantur, earum quantitas, qualitas, & pondus, eiuſdem quoque arbitrio relinquatur.

Oratio verò funebris in laudem alicuius defuncti, nullatenùs abſque licentia Emin. Vicarij habeatur.

§. XI.

Candelæ verò nullo pacto in ipſa Eccleſia diſtribuantur, ne funeris Officium à tumultu puerorum, aliorumque impertinentium impediatur, ſeù diſturbetur.

§. XII.

Sup. §. 2. in add. Rot. dec. 402. n. 12. p. 5. & deciſ. 400. num. 27. p. 18. rec.

Preſbyteri autem mercenarij pro aſſociando funere adhibendi vocentur à Parocho, in cuius Parochia tumulandus deceſſit, iuxtà numerum ab hæredibus defuncti præfixum, eorumque nomina, & cognomina in pagella ſigillatìm deſcribantur.

§. XIII.

Nec quiſquam ſe intrudere præſumat, qui non fuerit in numero deſcriptorum, ſub pœna prò prima vice priuationis acceſſus ad funera, pro ſecunda verò exilij ab Vrbe inuiolabiliter exequenda.

In

§. XIV.

In casu tamen,quo Ecclesia, de qua leuatur, seù ad quam defertur cadauer, Congregationem Presbyterorum, seù proprios Cappellanos haberet, qui vellent funeri accedere, Parochus primùm illos admittere debebit, & si adhùc locus remaneat, de alijs numerum supplere.

ADDITIO.

Si in vtraque Ecclesia, nempè Parochiali, & sepeliente ad sint Cappellani Seculares conuiuentes, vocentur hinc indè pro medietate; Itâ tamen, vt Vicecurati nunquàm excludantur ab alijs, ipsique Vicecurati cęteros in Processione præcedere debeant.

§. XV.

Illud etiam congruum videtur, vt prędictæ Congregationes, seù Cappellani cęteris Presbyteris præcedant, non tamen Parochis, & alijs Stolam deferentibus.

ADDITIO.

Vbi prætèr Parochos, eorumque Vicecuratos, certus Cleri numerus vtrinque fuerit euocatus, seù duæ Congregationes, vt suprà dictum est, locus propè cadauer, qui dignior est, eius sit, cuius est cadauer; Vbi tamèn dispares sint Ecclesiæ, Collegiata scilicèt, & alia simplex, locus dignior sit maioris Ecclesiæ, licèt cadauer sit minoris: Cęteri verò Sacerdotes associantes inter se mixtim incedant, & inter ipsas Collegiatas, & Ordines Regulares, etiamsi ad eorum Ecclesias cadauer deferatur; seruetur ordo Processionum generalium Cleri. *S. Carol. Borom. in Act. Eccl. Mediol.*

Inter Parochos verò Sęculares, & Regulares in funerali processione, eadem seruentur, quæ de Parochis disposi-

ta sunt: At si alij Regulares interueniant etiam cum Parocho Regulari, locus dignior Clero Seculari præbeatur: Decernimus tamèn, vt Regulares nonnisi collegiatim vocentur in funere per Parochos Seculares, & defunctorum hæredes: In Parochia tamèn propria Regulari (& nunquàm in alijs Parochijs, vel Ecclesijs) si Regularis aliquis vtì Coadiutor ratione Curæ, vel etiam plures ex defectu Presbyterorum Secularium, aliauè honesta causa interdùm non collegiatim intersint in funere (quod passim, & absque vlla necessitate vsurpari nolumus) tùnc Regulares ipsi, vt reliquus Clerus decenti superpelliceo, ac bireto sacerdotali induti sint, nec cum alijs mixtim incedant, sed tam in funerali processione, quàm in ceteris publicis actibus, etiam in proprijs ipsorum Regularium Ecclesijs, semper præcedant Presbyteri, seù Clerici Seculares.

Syn. Diœces. Med. 4. decr. 33

Rot. in Burgen. Præmin. 14. Martij 1695. coram Emo Caprara.

§. XVI.

Curet quoque Parochus, vt omnes, omissis confabulationibus, alternatìm psallant; renuentes verò, seù inobedientes sua mercede pro illa vice priuandi facultatem habeat.

§. XVII.

Caueat pariter, ne aliquos in habitu, & tonsura Presbyteralibus non incedentes admittat, aut sine bireto, excepto tamen tempore pluuiæ, vel noctu.

ADDITIO.

Tempore pluuiæ, vel noctis dumtaxàt, vel si cadauer extrà Vrbem deferatur, & in nullo alio casu pileum deferri posse à Presbyteris etiam Regularibus permittimus, sub pœnis in casu contrauentionis latis *in nostro Edicto sub die 9. Decembris 1704.*

Edictum Emi Vic. in fine Statutorum.

§. XVIII.

Beneficiati verò etiam dictarum Patriarchalium funera absque eorum Capitulo associantes, nulla ratio-

tione Parochis ipsis cum Stola interuenientibus præcedere possint, etiamsi defunctus ad eorum Ecclesias vtì Beneficiatus deferatur.

§. XIX.

In funeribus Cardinalium Cursores SS. D. Nostri non incedant ante feretrum, sed circà ipsum distribuantur, ità vt Parochus immediatè ante feretrum præcedat.

Decretũ Vicesgerẽtis facto verbo cũ san. mem. Paulo V. 9. Maij 1618. in fine Statutorum.

§. XX.

Interdicimus etiam, & prohibemus, ne cadauera ab occasu Solis vsque ad ortum sequentis diei amoueantur, seù ad Ecclesiam absque Reuerendiss. D. Vicesgerentis in scriptis licentia deferantur.

A D D I T I O.

Huiusmodi licentia deferendi cadauera de nocte à Cleri Camerario subscribi etiam debeat, pro qua ei detur scutum vnum aureum, & non ampliùs, non obstante qualibet consuetudine, seù vsu in contrarium.

Decretũ Congreg. deputatæ an. 1704.

Delationes, seù translationes cadauerum quarumcumque personarum cuiuslibet status, & conditionis, siuè de die, siuè etiam de nocte cum dicta licentia, non fiant in curru, seù rheda, nec in lectica, sed velutì publicæ pietati exposita præcedente Cruce cum luminibus, ac debitis ceremonijs iuxtà Rituale Romanum, & Sac. Congregationis Decreta, sub pœnis *in nostro Edicto super huiusmodi translationibus lato sub die 4. Februarij* 1705.

Edictum Emi Vic. in fine Statutorum.

§. XXI.

Et quoniam non decet, vt defunctorum corpora statim, ac expirauerint, subitò Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur: Idcircò præcipimus, vt postquàm

F 2 expi-

expirauerint, vel pro expiratis habiti fuerint, per ſpatium decem horarum ad minùs inſepulti cuſtodiantur.

ADDITIO.

Qui repentina morte obierint, non ſepeliantur, niſi poſt viginti quatuor horarum ſpatium, quo illi ſpiritum emiſerint, aut longius etiam temporis interuallum, ſi ità à peritis iudicetur: Cæteri verò, qui ex vulnere, febre, aut quouis alio morbo deceſſerint, cùm experientia compertum ſit, decem horarum ſpatium *in d.* §. 21. præſcriptum, non eſſe debitum temporis interuallum, ex quo nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus, iuxtà monitum Ritualis Romani; ideò antè quindecim horas non tradantur ſepulturæ.

Suprà c.4. §.13. Extrau. Deteſtandæ, de ſepult. Cadauera autem non exenterentur, etiam in proprijs domibus, ſub pœnis arbitrio Eminentiſſimi Vicarij, eiuſuè Reuerendiſſimi Viceſgerentis, niſi de expreſſa eorundem licentia, ex vrgenti cauſa, & elapſo dicto tempore, ex Medicorum etiam iudicio concedenda.

§. XXII.

Infrà c.6. §.28. Eadem planè ratione, neque die, neque noctu in domo, vel Eccleſia abſque luminibus, & cuſtodibus hæredum defuncti ſumptibus adhibendis relinquantur.

§. XXIII.

Dict. c.6. §.28. Huiuſmodi autem cuſtodes, ſi commodè fieri poſſit, Sacerdotes exiſtant, qui Pſalmos, & Preces pro ipſius defuncti anima recitent.

De mercede associantibus Funera, illisque inseruientibus prestanda.

CAP. VI.

§. I.

QVoniam iuxtà Apostolum, qui seminant spiritualia, non prohibentur metere carnalia, & dignus est operarius mercede sua, idcircò statuimus in primis, quod Camerario Cleri, quoties fuerit inuitatus, seù inuitari debuerit ad funus, detur vnum Intortitium eiusdem ponderis, & qualitatis in ipso funere ardentium, & insuper fasciculus candelarum vnius libræ, necnon vnum scutum aureum.

1. Cor. 9.

Stat. vet. cap. 15. & c. 33.

§. II.

In funeribus verò Cardinalium eidem Camerario merces prædicta duplicata soluatur, videlicèt duo Intortitia, duo fascisculi candelarum, & duo scuta aurea.

§. III.

Idemquè seruari volumus in funeribus Principum, aliorumque Titulatorum solemnitèr, ac more Cardinalium funera celebrantium.

ADDITIO.

Vltrà prædictam mercedem, & aliam supra expressam pro licentia deferendi cadauer de noctè, nihil aliud Camera-

Decretum d. Cong. deputatæ.

merario in funeribus debeatur, etiamsi associatio, vel expositio Cadaueris, vel vtraque simul fieret, vel fieri debuerat cùm viginti, seù pluribus intortitijs.

§. IV.

Pro sepultura autem prædictorum Cardinalium, atque Baronum, tàm proprio Parocho, quàm Ecclesiæ, in qua tumulantur, decem scuta monetæ præstanda esse declaramus.

ADDITIO.

Declaramus, mercedem scutorum decem pro Cardinalibus, ac Titulatis, & scutorum quinque pro Prælatis modo præscripto debitam non excedendam, etiamsi eorundem cadauera cùm pluribus capsis, ac etiam cùm capsa plumbea tumulentur.

Decretum eiusdem Cong. deputatæ.

Pro sepultura filiorum Principum, & Baronum, etiamsi fuerint primogeniti, dentur scuta quinque Parocho, si in Parochiali, etsi cùm capsa, vel pluribus capsis, etiam cùm capsa plumbea sepeliantur; Si verò in alia Ecclesia, eidem & alia scuta quinque præstentur; Quod si fuerint minores septem annis, dentur scuta duo cùm dimidio modo suprà explicato, etiamsi cùm capsa plumbea, vel alijs capsis sepeliantur.

§. V.

Pro sepultura verò Prælatorum scuta quinque.

§. VI.

Pro sepultura aliorum Nobilium scutum vnum aureum.

ADDITIO.

Si Cadauer Nobilium cum capsa sepeliatur, etiam cùm capsa plumbea, vel alijs capsis, tunc pro Iure sepulturæ solum

lùm scuta duo cum dimidio persoluantur, & quoad eorum infantes vsque ad ætatem septem annorum pro medietate. Prò Nobilibus verò intelligantur, qui secundùm communem existimationem pro talibus reputantur in Vrbe: Quo circà si aliquod dubium suboriatur, stetur iudicio Eminentissimi Vicarij, eiusuè Reuerendiss. D. Vicesgerentis.

§. VII.

Pro sepultura aliorum quorumcumque adultorum decem caroleni.

§. VIII.

Pro Sepultura paruulorum caroleni quinque.

§. IX.

Pro concessione autem loci particularis in corpore Ecclesiæ ad construendum sepulchrum, seù apponendum lapidem, seù inscriptionem, de conuenienti eleemosyna facienda cum Ecclesiæ superiore tractetur, ad illius Ecclesiæ beneficium.

Rot. cor. Gregor. decis. 145. nu. 10. & alibi.

ADDITIO.

Prohibemus quidquam accipi pro sepeliendo cadauere magis in vna, quàm alia sepultura, seù loco Religioso, excepta supradicta concessione loci particularis.

§. X.

Ex quibus tamen concessionibus non eximuntur, quin teneantur soluere solitum subterratorium, seù ius sepulturæ toties, quoties ibidem cadauera humari contigerit.

§. XI.

§. XI.

Merces autem ordinaria Presbyterorum funus associantium sit vnius iulij; quod si contingat progredi cum funere ad Ecclesias mediocritèr distantes, videlicèt ab Ecclesia S. Laurentij in Damaso ad S. Mariæ de Aracœli, vel ad S. Laurentij in Lucina, & similes, sit duorum Iuliorum; si verò ad Ecclesias remotiores notabilitèr, vt ad S. Ioannis Laterani, S. Gregorij, S. Petri in Vaticano, & similes ab Vrbis centro, vel circitèr distantes, sit trium iuliorum, & plus, vel minùs iuxtà longitudinem itineris, & temporis qualitatem; siquidem tempore nocturno, vel pluuiæ aliquid plus non immeritò taxari posse censemus.

ADDITIO.

Illud plus, quod pro tempore noctis, vel pluuiæ soluendum est, intelligatur in quolibet ex dictis casibus medietas illius mercedis, quæ extrà dictum tempus præstaretur.

§. XII.

Parochi verò, alijque Sacerdotes, qui intersunt funeri cùm Stola, duplicem ab alijs portionem habeant, necnon fasciculum candelarum vnius libræ iuxtà vetustissimam consuetudinem.

ADDITIO.

Merces præfata, & fasciculus Candelarum non duplicetur, neque augeatur in quocumque funere sub prætextu qualitatis personarum etiam Cardinalium.

Si quis domicilio non translato decedat in aliena Parochia,

rochia, illius Parochus in associatione funeris ad Ecclesiam, in qua cadauer sepeliendum erit, mercedem æqualem, quæ proprio Parocho defuncti præstatur, & fasciculum etiam Candelarum vnius libræ tantùm habeat, & si in tertia Ecclesia Parochiali sepeliatur, eadem merces, & fasciculus Parocho dictæ Ecclesiæ sepelientis præstetur, vltrà Canonicam portionem diuidendam in casibus supradictis. Quoties autem Ecclesia sepeliens, vel exponens non esset Parochialis, nullatenùs præsumat illius Rector, aliusuè Minister cùm Stola interuenire, nec præfatum fasciculum, aut mercedem vllam exigere pro Viatico, seù associatione Cadaueris, nisi inuitati funerali processioni intersint, & tunc absque Stola, ac ordinariam dumtaxàt mercedem absque fasciculo consequantur. In sequ. §.13.

§. XIII.

Sacristæ autem, & Cappellani Ecclesiarum Collegiatarum, necnon Confraternitatum, quatenùs funeri adsint, & non aliàs, ordinaria dumtaxat mercede, vt suprà mercenarijs ordinarijs taxata, sint contenti.

ADDITIO.

Id intelligendum esse declaramus etiam de Cappellanis Confraternitatum, qui cum Stola illas subsequuntur, necnon de Sacristis, & Cappellanis Ecclesiarum etiam Patriarchalium, & Collegiatarum quarumcumque, proindeque iisdem Sacristis, & Cappellanis, alijsque Ecclesiæ Ministris pro excipiendis in suis Ecclesijs defunctis diù, noctuque, & pro funeris officio peragendo, ac pro assistentia in Sacrario tempore expositionis, nihil deberi; Contrafacientes verò grauissimè arbitrio Eminentissimi Vicarij puniantur.

§. XIV.

Singulis Monasterijs, siuè Domibus Regularium

ad funus inuitatis decem caroleni soluantur, nisi ad Ecclesias distantes progredi contingat; Tunc enim decem Iulij, plus, vel minùs iuxtà itineris qualitatem, præstandi erunt.

ADDITIO.

Vltrà præscriptam mercedem, nihil aliud prætendere possint, neque fasciculum candelarum pro superiore, alijsuè officialibus, exceptis candelis à sponte dantibus.

Eadem merces detur Confraternitatibus ad funus inuitatis, vltrà quam nihil aliud petere possint, etiam pro paruo vexillo, seù signo, vel portitoribus, nec pro feretro, etiam nobili eiusdem Confraternitatis, nec prò Sacristis, mandatarijs, aut quocumque alio prætextu, neque Candelas, nisi à spontè dantibus, & cuiuscumque qualitatis, & ponderis sint, & sit in arbitrio hæredis per se, vel per alium ab ipso deputandum distribuere.

§. XV.

Orphanis autem, quando in funeribus paruulorum feretrum portant, decem iulij solui debebunt.

§. XVI.

Vespilloni pro sepeliendo cadauere in Sepul chris ordinarijs tres iulij præstentur.

ADDITIO.

Vespilloni pro sepeliendis paruulis etiam Principum filijs, sinè capsa dentur iulij tres, cùm capsa lignea iulij quatuor cùm dimidio, cùm capsa plumbea iulij sex: Prò adultis cuiuscumque status, & conditionis, si cum capsa lignea sex iulij, cùm alijs capsis etiam intrà capsam plumbeam positis iulij duodecim exsoluantur. Si verò cadauer sepeliatur extrà Parochialem cùm capsa, vel capsis, vel sinè illis, iulij tres dumtaxat Vespilloni Parochialis Ecclesiæ debeantur.

Decretum prędictę Cong. deputatæ.

§. XVII.

§. XVII.

Pro facienda fouea, & pro capsa in ea cum cadauere aptanda, necnon Ecclesia à terra purganda decem caroleni soluantur.

§. XVIII.

Capsas autem præfatas in sepulturis communibus nullatenùs ponant, nisi fortè hæredes defuncti duplicatum subterratorium soluere maluerint.

ADDITIO.

Taxa quoad Sepulturam cum capsa, seù subterratorium duplicatum in casibus *dd.* §.6. 7. & 8. seruetur etiam in sepulchro malorum tàm intrà, quàm extrà Ecclesiam Parochialem. Decretum d. Cong. deputatę.

§. XIX.

Caueant tamen dicti Vespillones, ne aliquid de vestimentis, rebusque alijs cadaueris, seu funeris præter pileum; & calceamenta sibi approprient.

ADDITIO.

Seruetur adamussim prædicta prohibitio, itaùt præter pileum, & calceamenta, velumque respectiuè, de quibus etiam *infrà ad* §. 20. nihil Vespillones sibi vsurpent, nec etiam Coronas, serta, fictum capillitium, cruces, resque alias cadaueris, seù funeris, & contrauenientes poterunt officio priuari, alijsquè pœnis arbitrio Eminentissimi Vicarij, seù eius Reuerendissimi D. Vicesgerentis coerceri.

§. XX.

Sit autem fas hæredibus Defuncti præfatum pileum pro tribus iulijs redimere.

ADDITIO.

Gloss. in Clem. dudum, ver. decesserit, de sepult.

Si contingat, defunctum laicum exponi nudis pedibus in Ecclesia cùm habitu alicuius ordinis Regularium, vel Sodalitatis secularis, adhùc præiudicatum esse nolumus Vespilloni, cui pro calceamentis quinque iulij, & pro pileo tres iulij tribuantur; Pro calceis verò fœminarum iulius vnus, sicut & prò velo iulij duo, si velum ab hæredibus redimi velit.

§. XXI.

Idem Vespillo teneatur gratis portare, atque humare illos pauperes, quos ipse Parochus ad sepeliendum gratis admiserit.

ADDITIO.

Rit. Rom. de Exequ.

Cong. Præfectorum 27. Iunij 1679. Taxa Innocentiana, & S. Cóg. Visitat. Apost. in Rom. 14. Maij 1699

Parochus ad præscriptum Rit. Rom. curet sepelire pauperes gratis, adhibitis etiam duobus saltem luminibus suis impensis, nec in particulari sepulchro, sed in illo, in quo cæteri non pauperes sepeliuntur; Necnon pro ministranda Extrema vnctione infirmis cuiuscumque conditionis, vltrà vasculum Sacri Olei, secum deferat aliud vas, seù patinam, & mappam candidam iuxtà Rituale, & casu, quo illa acciperet è domo Infirmi, teneatur eadem restituere sub pœnis arbitrio Eminentissimi Vicarij infligendis.

§. XXII.

Pro intimandis Confraternitatibus, Orphanis, & Regularibus, dimidium iulij pro qualibet partita præstabitur.

§. XXIII.

Pro remotioribus tamen aliquid plus, & etiam iuxtà temporis qualitatem Parochi iudicio soluendum erit.

§. XXIV.

§. XXIV.

Pro intimandis autem Presbyteris regularitèr nihil debetur, nisi sit magnus numerus, vel hora extraordinaria.

§. XXV.

Pro lauando, atque vestiendo cadauere camisiam lucrari consueuerunt, volumus tamen, vt possint hæredes illam pro quinque iulijs redimere.

§. XXVI.

Portitoribus eadem merces, quæ Presbyteris ordinarijs fuerit taxata, persoluatur.

ADDITIO.

Vespillonibus ratione delationis, quando non deferunt Cadauer, nihil deberi statuimus; Quando verò deferunt Cadauer cuiuscumque personæ in qualibet dignitate constitutæ, merces pro quatuor tantùm portitoribus, & non vltrà debeatur, etiam ratione longi itineris, sed in isto casu seruetur dispositio §.11. *huius capitis, eiusque additio*. Nec aliquid prætendere possint pro delatione feretri Parochiæ ad Domum Defuncti, & ad Ecclesiam sepelientem, exponentem, vel Parochialem, vel pro eiusdem reportatione, neque pro repositione Cadaueris super feretro, eiusque depositione. Decretum supradict. Cong. deputatæ ann. 1704.

Clerico itidem, seù Ecclesiæ Ministro Crucem deferenti eadem merces, quæ pro simplici Presbytero in funere fuerit taxata, soluatur. Pro ipsa tamèn Cruce, eò, quod sit argentea, vel aliàs pretiosa, quidquam prætendi non possit. Decretum eiusdem Cong. deputatæ.

Aliqua etiam merces ab hærede præstetur ductori itineris, quatenùs ab ipso hærede petatur, quæ tamèn medietatem mercedis debitæ Presbyteris ordinarijs non excedat. Decretum d. Cong.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sacerdotibus tamèn cadauer Sacerdotis portantibus merces prædicta duplicabitur, dummodò numerum moderatum à Parocho præfixum non excedant.

§. XXVIII.

Suprà c.5. §.22., & 23.

Merces cadauer de nocte in Ecclesia custodientium sit vnius scuti monetæ, intèr ipsos diuidendi; Sacerdotibus verò custodientibus aliquid plus iudicio Parochi soluatur.

ADDITIO.

Suprà c.5. §.22.

Si contingat Cadauer custodiri etiam de die vltrà tempus, quo mansit expositum, soluatur pro custodia merces aliqua ab hærede iuxtà §. 22. *cap.*5., ità tamèn, vt tres iulios non excedat.

§. XXIX.

S. Cong. Episcoporum, & Regul. 17. Septembris 1617. Taxa Innocent. S. come anche,

Et quoniam ab Ecclesiasticis omnis auaritiæ suspicio abesse debet, caueant Parochi, vel Sacristæ, ne linteamina, vel quidquam aliud pro suorum emolumentorum securitate loco pignoris retineant.

§. XXX.

Nil quoque pro pulsatione Campanarum, neque pro Cultra, seù panno feretri exigere præsumant.

ADDITIO.

Declaramus, intelligi de ea scilicèt Campanarum pulsatione, quæ à Rituali Rom. præscribitur: Si verò hæredes velint, vt pulsentur toto tempore, vel pro maiori parte

te temporis, quo celebrantur exequiæ, mercedem arbitrio Camerarij Cleri taxandam pulsantibus soluant.

Quo verò ad Culcitram, curent Parochi retinere pannum feretri, & Culcitram decentem pro deferendis Cadaueribus Defunctorum, & pro illis nihil exigere præsumant ad formam *dicti* §. 30. *huius capitis*; Si verò Defunctorum hæredes cupiant feretrum, vel pannum feretri nobilius, seù Culcitram meliorem, de ijs prouideant proprijs sumptibus concordandis cum illis, à quibus ea recipiunt, quæ tamèn non cedant lucro Ecclesiæ, nec Parochus quidquam ex illis prætendere possit, etiam si Culcitra ponatur subtus, vel supra Cadauer, etiam humi, alioue quolibet modo, neque Camerarius Cleri in illorum taxa se ingerat. Decretũ d. Congr. deput.

In funeribus tamèn Cardinalium, Principum, & Ducum hæres soluat Parochiali Ecclesiæ pro Culcitra scuta viginti; Pro alijs Titulatis, Prælatis, Abbatibus Mitratis, & Canonicis trium Basilicarum Patriarchalium scuta decem; Pro filijs Principum, & Ducum, quamuis Primogenitis; Et alijs personis, quæ exponuntur super Catafalco, aut lecto funebri, scuta quinque, seruata forma diuisionis inter Ecclesias Parochiales, & exponentes supra præscripta; At si in huiusmodi funeribus hæres faciat Culcitram de proprio, eamque relinquat Ecclesiæ, tunc nihil soluere teneatur, sed pretium Culcitræ diuidatur vt supra; Si verò illam redimere voluerit, soluat pro qualitate Defuncti summam in *præsenti* §. expressam.

§. XXXI.

Cameræ locandæ (nisi aliundè priuilegium habeant) pallium decedentium in suis hospitijs sibi vsurpare nequaquam præsumant ante humata corpora, sed iuxtà eorum labores, & seruitia præstita sibi ipsis satisfieri curent.

ADDITIO.

Nullius Defuncti Cadauer Ecclesiastica Sepultura dignum propter Testamentum nondum exhibitum, aut iura Sepul- Taxa Innocentiana.

Sepulturæ non soluta, seù ob quamuis aliam causam præscripto in hisce Statutis tempore diutiùs insepultum remaneat, vel eidem sepultura denegetur, sub pœnis grauissimis arbitrio Eminentissimi Vicarij irrogandis: Laudabiles tamèn consuetudines, quas Sacri Canones, Sancta Synodus Tridentina, & Rituale Romanum seruandas, & retinendas esse constituunt, inuiolatè, ac integrè omnes exequi studeant, ac Parochis de præscriptis eleemosynis satisfaciant: Quod si aliquod emerserit dubium, Eminentissimum D. Cardin. Vicarium, vel eius Reuerendissimum D. Vicesgerentem Cadauere tumulato adeant, vt debitè, ac summarié valeant desupèr decernere, ac prouidere.

c. abolendæ, de sepult. c. ad Apostolicam, de Simon. cũ concord.

De Confraternitatibus ad funera inuitatis.

CAP. VII.

§. I.

Rituale Rom. de exequijs, tit. exequiarum ordo.

Confraternitates ad funus inuitatæ Ecclesiam Parochialem, intrà cuius limites cadauer existit, hora intimata adeant. Vultu cooperto, & cum silentio bini, & bini incedant.

§. II.

Confraternitas illa, ad quam feretrum portare pertinet, primò ad prædictam Ecclesiam cum illo, indeque ad locum cadaueris suo tempore accedat.

§. III.

Suprà c. 5. §. 7. & in addit.

Nulla ratione Crucem erectam in ipso funere portare præsumant, cùm sub vna tantùm Cruce funus duci debeat.

§. IV.

§. IV.

Nec minùs valeant de ipso funere aliqua intortitia arripere, etiamsi spontè ab hæredibus defuncti, postquàm fuerint accensa, donentur, quia nullum ampliùs in illis dominium, seù ius habent. Sup. c.4. §.1.& §.2. in add.

§. V.

Dum in ipso funere progrediuntur, Psalmos alternatim ad instar Regularium, & aliorum recitent. Rituale Rom. vbi suprà.

§. VI.

Cappellanus cuiuslibet Confraternitatis cotta, ac Stola indutus, post eandem Confraternitatem tanquàm illius moderator, & Rector immediatè subsequatur. Decr.S.C Conc. & Emi Vic. infrà in addit. ad §. 8. vers. Cappellani.

§. VII.

Societates, quæ ad funera suorum Confratrum sine sacco accedunt, non ante feretrum, sed post illud incedant; E contrà verò, quæ cum sacco comparent, ante ipsum feretrum suis locis procedant, hoc est antè Clerum Regularem, siuè Secularem. Rituale loco cit.

§. VIII.

Societas Mortis, seù quælibet alia Confraternitas non se ingerat in funerandis cadaueribus paupe-

 rum

rum Parochianorum, quando ipse Parochus suis sumptibus in propria Parochiali Ecclesia gratis sepelire voluerit.

ADDITIO.

Suprà c.3. §. 1. in add. v. Pauperes. Dispositio huiusmodi intelligatur, etiamsi Pauperes Sepulturam in alijs Ecclesijs habuerint, vel elegerint, iuxtà declarationem aliàs in nostro Tribunali admissam.

Pius IV. in Const. incip. Diuina §. 9. S.C.Episc & Reg. in Senogall. 5. Iulij 1583. & 22 Sept. 1598. Confraternitas Mortis, quæ ex proprio Instituto facultatem habet pauperum, seù miserabilium personarum decedentium cadauera, vbique proiecta iaceant, sepeliendi suis sumptibus, & expensis necessarijs, & cum proprijs faculis, intortitijs, & candelis, non possit hoc pietatis opus exercere, nisi cum licentia, seù requisitione Parochi, sub cuius Parochia pauperes ipsi decesserint, iuxtà Constitutionem s. m. Pij IV.

Et ex quodam Decreto Sac. Congregationis Visitationis Apostolicæ tempore s. m. Vrbani VIII. sub die 29. Nouembris 1641. Parochi requisiti, & quilibet eorum requisitus debet pauperum cadauera infrà viginti horarum spatium (exceptis cadaueribus Defunctorum morte repentina, pro quibus seruetur *Additio ad* §. 21. *Cap*.5.) Ecclesiasticæ Sepulturæ tradere, aliàs termino prædicto elapso possint supradictæ Confraternitatis Confratres, eorum idest Confraternitatis sumptibus humi tradere in ipsius Ecclesia, seù Cœmeterio, vel etiam in Parochiali Ecclesia, sub qua pauperes ipsi decesserint, cum licentia tamèn, & interessentia eius Rectoris, qui si adesse noluerit, teneatur ianuas Ecclesiæ aperire, seù aperiri facere, & quod supradicti Confratres hoc obseruare debeant tàm in Vrbe, quàm extrà. Cadauera verò Occisorum (quorum Parochi ignorantur) possit eadem Confraternitas, postquàm fuerint à Curia inspecta, humi tradere, nisi Parochi, intrà quorum fines reperiuntur, sese paratos ostendant eadem tradere Sepulturæ, itaùt intrà Vrbem, vbi facilè requiri possunt Parochi, nequeat vllo modo ipsis irrequisitis leuare cadauera quæcumque, etiam submersorum in flumine, vel

Suprà c.3. §.29. & c. 4. §.8.

alio

alio quocunque genere mortis repentinæ defunctorum: Ipsisque Parochis requisitis, & recusantibus sepelire, vel interesse, & ianuas Ecclesiæ aperire, quamuis in eodem Decreto concessa appareat ipsi Confraternitati facultas aperiendi eorum Ecclesias pro cadauere inferendo, attamèn ad præscriptum dictæ Bullæ Pianæ, & ad sensum Sacræ Congregationis in dicto Decreto prouidè declaramus, Ecclesiam aperiendam intelligi illam, cuius Parochus fuerit requisitus, & requiri debuerat pro cadauere sepeliendo, nouaque requisitione opus esse ad eius Ecclesiam aperiendam, si velit Confraternitas in eam cadauer inferre, non autem indiscretè intelligi Ecclesias omnes Parochiales. In cadaueribus autèm mortuorum extra Vrbem in eodem Decreto cauetur, quod cum aliquandò nunciantes errant, asserentes locum vnum pro alio, liceat tali casu dictæ Confraternitati in Ecclesijs sibi commodioribus sepelire, & teneantur etiam custodes requisiti eorum ianuas aperire, aliàs aperire possit eadem Confraternitas. Contrafacientes vltrà pœnam scutorum viginti quinque in dicto Decreto impositam, alijs etiam grauioribus pœnis arbitrio Eminentissimi Vicarij pro tempore, eiusque Reuerendissimi Vicesgerentis ibidem comminatis puniantur.

Præterea *cum multis ab hinc annis* (sunt verba Nostri Decreti aliàs anno 1698. editi) *ortæ fuissent controuersiæ inter Parochos, & Confraternitates Vrbis occasione Processionum Funeralium, & partes adierint Sac. Congregationem Concilij, eiusque resolutionibus non acquieuerint, nouamque audientiam obtinuerint, & non sine magno Fidelium scandalo, & Christianæ pietatis detrimento insurgentibus iurgijs, propterea ad ea extirpanda, ac radicitùs euellenda, Nos peractis hac de causa pluribus particularibus Congregationibus, & partibus ipsis pluriès auditis, tandem in Generali Congregatione Præfectorum coram Nobis, ac Illustrissimis DD. Prælatis, cæterisque Deputatis, & Cleri Camerario habita sub die 19. Ianuarij 1698. de vnanimi consensu, & pari concordia ad infrascripta Decreta deuenimus, & inuiolabilitèr ab omnibus Parochis, & Officialibus Confraternitatum obseruari mandauimus, ac in fine Statutorum apponi*, videlicèt: Decretum Eminentiss. Vic. 1. Maij 1698. in Libro Banimentor. Secretariæ fol. 15.

RR. Parochos acquiescere debere resolutionibus Sacræ Congregationis Concilij ad tria Dubia infrascripta: S.C.Conc Rom. fun. 10. Ian. 1682.

I. *An Confraternitas possit in Funeralium Processionibus erigere suam Crucem, quando Defuncti tumulandi deferuntur ad ipsius Ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt.*

II. *An eadem Confraternitas possit suam Crucem erigere tàm per viam, quàm in Ecclesia Parochiali, quando est inuitata ad associandum cadauer sepeliendum in ipsa Ecclesia Parochiali.*

III. *An Cappellanus eiusdem Confraternitatis indutus Cotta, & Stola possit post absolutum à Parocho officium funeris in Ecclesia Parochiali vnà cum Confratribus canere Psalmos Miserere, & de Profundis cum aspersione aquæ benedictæ.*

Ad primum, præcedat Confraternitas, deindè Crux eiusdem Ecclesiæ deferenda per Clericum ipsius, posteà sequatur Clerus Regularis, & tandem Sæcularis.

Ad secundum negatiuè, tàm in Ecclesijs, quàm in Processionibus funeralibus præsente Parocho.

Ad tertium negatiuè.

Posse tamèn habere recursum pro declaratione quarti Dubij resoluti, negatiuè, *videlicèt (An possit Parochus officium funeris peragere in Ecclesia Confraternitatis super cadauere Defuncti in eadem Ecclesia tumulandi, etiamsi sit Parochus, intrà limites cuius Parochiæ Ecclesia Confraternitatis est)* Cum verò nupèr re maturiùs discussa in Sac. Rituum Congregatione *super Dubijs Generalibus Iurium Parochialium sub die* 10. *Decembris* 1703. *cum approbatione Sanctissimi D. N. sub die* 12. *Ianuarij sequentis* fuerit huiusmodi Dubium hoc modo declaratum, videlicèt = *Ad XX. Affirmatiuè, quando tumulandus est subiectus Parocho, intrà cuius fines est Ecclesia, vel Oratorium* = Hanc posteriorem declarationem vti Iuri consonam omninò obseruari mandamus.

RotaCiu. PlebisIur Parochialium super manut. 3.Iulij 1705. S.net Parochus, cor. Rmo Molines.

Loco Crucis Confraternitates paruum Vexillum, seù signum (iuxtà Exemplar in nostra Secretaria relinquendum) in deferendis, & tumulandis Defunctorum cadaueribus posse deferre ante Societatem: Ecclesias verò etiam Confraternitatum, in quibus cadauera tumulanda veniunt, posse deferre propriam Crucem ad formam resolutionis Sac. Cong. Concilij in primo Dubio emanatæ.

Cappellani autem Confraternitatum incedant cum Stola immediatè post ipsam Confraternitatem: Sed controuersia deindè acriùs excitata, terminata fuit per *Decretum eiusdem Sac. Cong. Concilij sub die 20. Decembris 1698., & per Sententiam nostram*

ftram desupèr latam, & in iudicatum transactam, qua decisum fuit, Cappellanis Confraternitatum in associatione cadauerum tumulandorum etiam ad Ecclesias, seù Oratoria ipsarum Confraternitatum non licere incedere in fine Processionis funebris ad sinistram Parochi, sed tantummodò incedere debere post ipsam Confraternitatem funus associantem. Sententia Em. Vic. ... Maij 1699. mox inseréda.

gregationis Secretarium. Item aliam fidem decreti facti in Sacra Congregatione Rituum de Exequijs Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium sub die 6. Septembris 1603. subscriptam, vt apparet per Reuerendissimum P. D. Tassalonum tunc Secretarium. Item Chirographum scriptum, & subscriptum, vt apparet per admodum Reu. D. Carolum Antonium Vaccarium Sanctiss. D. N. Papæ Cęremoniarum Magistrum Reu. Priori Fratrum Carmelitarum Discalceatorum sub die 27. Ianuarij 1627. seù &c. super restitutione Intortitiorum, quæ asportata, & respectiuè apposita fuerunt circa Cadauer bonę memoriæ Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Riuarolæ. Item repetierunt Memoriale factum ad instantiam diuersarum Ecclesiarum Parochialium, & non Parochialium, Secularium, & Regularium Vrbis directum, & respectiuè porrectum Sanctiss. D. N. Vrbano Papæ Octauo, cum Rescripto, *Alla Sacra Visita, che riferisca*, & cum altero rescripto facto in Congregatione Sacræ Visitationis Apostolicæ sub die 23. Ianuarij 1629. *Si Sanctiss. Placet, videtur confirmandum decretum Illustrissimi D. Cardinalis Vicarij in Congregatione Præfectorum*, ac cum altero rescripto facto sub die 24. eiusdem mensis Ianuarij, *Sanctissimus annuit*. Item omnia, & singula alia Iura, acta, actitata, producta, & repetita, ac decreta quæcumque facta ad fauorem dicti Reu. D. Francisci Bartholini, & aliorum quorumcumque Rectorum Parochialium Ecclesiarum Vrbis contrà quascumque personas, ac omnia alia Iura &c. ad ipsorum Comparentium, & aliarum Parochialium Ecclesiarum Vrbis fauorem facien. in quantum &c. & non aliàs &c. Quibus stantibus petierunt, & institerunt omnia supradicta admitti, necnon per Dominationem Suam Reuerendissimam declarari, tam Intortitia, Cereos, & Candelas, quæ per viam deferuntur, quàm etiam omnia ea, quæ circa Cadauera,

antequàm Terræ tradantur, in quibuscumque priuatis Ecclesijs accenduntur, diuidenda fore, & esse pro æquali portione inter ipsos Parochos, & Ministros aliarum Ecclesiarum quarumcumque etiam Regularium, Nationalium, seù aliàs Priuilegiatarum, ac alia fieri, exequi, & executioni demandari omni meliori modo &c.

Ex tunc Reuerendissimus D. Vicesgerens, & Sacræ Visitationis Apostolicæ à secretis, visis supradictis decretis, memoriali, rescriptis, & alijs iuribus, visisque videndis, consideratisque considerandis exequendo rescriptum Sanctiss. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ Octaui, alijsque præfatis ad effectum remouendi dissentiones, & ad euitanda scandala, ac alijs iustis de causis, decretum factum in Congregatione RR.DD.Præfectorum habita coram Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Millino eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ Vicario Generali sub die 26. Februarij 1628. seù &c. confirmauit, approbauit, & emologauit, ac confirmat, approbat, & emologat, illudque omninò seruari mandauit, & mandat omni, & quacumque appellatione remota, ac alijs quibuscumque exceptionibus, seù pactis, consuetudinibus, quietantijs, seù cessionibus huiusmodi, petitionibus, refutationibus, & conuentionibus quibuscumque per quoscumque in præiudicium præsentis decreti, & Ecclesiarum in contrarium factis, & faciendis non solùm modo, & forma præfatis; sed etiam omni alio meliori modo &c.

A. Episcopus Bellicastren. Vicesg. & Sac. Visit. Apost. Secretarius.

Decretũ Congreg. Præfectorum confirmatũ, vt suprà.

Fides verò supradicti Secretarij est vt sequitur. Fidem facio ego infrascriptus, qualiter die 26. Februarij 1628. Coram Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Millino Sanctiss. D. N. Papæ Vicario habita

bita fuit Congregatio RR. DD. Præfectorum præsentibus infrascriptis, videlicèt Reuerendissimo P. D. Antonio Ricciullo Episcopo Bellicastren. Illustrissimi Domini Cardinalis Vicarij Vicesg., Reuerendiss. P. D. Martino Bonaccino, RR. PP. DD. Constantino Pallamolla Ordinis Clericorum Regularium Sancti Caroli de Catenarijs, Ioanne Petro Marchesio Rectore Sancti Blasij in Campitello, Bernardino Larizza Confessario in Ecclesia Sancti Hieronymi de Charitate, Ioanne Baptista Alciato Rectore Sancti Benedicti in Piscinula, Iacobo Bellolio Rectore Sancti Blasij de Fouea &c. In qua Congregatione inter cętera negotia pertractata, fuit etiam expositum, quod, licet Parochis Vrbis debeatur medietas Cereorum, seù Intortitiorum, & Candelarum, quæ accenduntur, nedùm in ipso Funere, dùm Cadauera defunctorum ad Ecclesias, in quibus defuncti elegerunt sepulturam, vel habent sepulchra Maiorum, verùm etiam eorum, quæ accenduntur circà feretrum in dictis Ecclesijs, vel per quoscumque offeruntur, & dantur earum Ministris occasione huiusmodi defunctorum. Nihilominùs varias in dies super his dissentiones oriri, ac propptereà vel maximè conueniens fore de aliquo opportuno remedio prouidere. Quare eadem Congregatio habito priùs colloquio, & facta matura consideratione, censuit ad effectum remouendi huiusmodi dissentiones, & ad euitanda scandala, ac alijs iustis de causis. Si Sanctiss. D. N. placuerit, tam Intortitia, cereos, & candelas, quæ per viam deferuntur, quàm etiam omnia ea, quæ circa cadauera antequàm Terræ tradantur, in præfatis Ecclesijs accenduntur, diuidenda fore, & esse pro æquali portione inter ipsos Parochos, & Ministros aliarum Ecclesiarum quarumcumque, etiam Regularium, & Nationalium, seù aliàs priuilegiatarum, ac proptereà quando huiusmodi Intortitia, seù Cerei, & Candelæ in præfatis Ecclesijs pro celebrandis diuinis Officijs

cijs præsente corpore accenduntur, finito Officio extinguenda esse, & cuique medietas consignanda. Quæ resolutio, vt suum sortiretur effectum, placuit prædicto Illustrissimo Domino Cardinali Vicario committere Reuerendissimo P. D. Vicesg. quatenùs huiusmodi sententiam notificaret Sanctiss. ad explorandam Sanctitatis Suæ voluntatem. Qui Reuerendiss. P. D. Vicesg. facto verbo cum Sanctissimo, retulit in proxima sequenti Congregatione coram eodem Illustriss., & Reuerendiss. D. Card. Millino Vicario prædicto habita die 21. mensis Martij 1629. Sanctiss. D. N. annuisse, ac resolutionem prædictam confirmasse, eidemque Reuerendiss. P. D. Vicesg. commisisse, vt ità seruari mandaret omni appellatione remota, & alijs quibuscumque non obstantibus, & aliàs, proùt latiùs in Secretaria Illustriss., & Reuerendiss. D. Card. Vicarij, ad quæ &c. In quorum fidem &c. Dat. Romæ hac die 27. Augusti 1629.

Ità est Odoardus Tibaldescus Illustriss., & Reuerendiss. D. Cardinalis Vicarij Secret.

D. M. Cęsius Not.

Sententia Congregationis Particularis à sanctæ memoriæ Innocentio Decimo deputatæ, confirmatoria alterius Sententiæ bonæ memoriæ Riualdi Vicesgerentis ad fauorem Parochorum Vrbis contrà Minores Obseruantes Sanctæ Mariæ de Aracęli super solutione Quartæ Funeralis.

Ad Statut. cap. 4. §. 2. in addit. p. 26.

CHristi nomine inuocato. Pro Tribunali sedentes, ac solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de iure Peritorum consilio ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ primo, & in prima coram R. P. D. Vicesgerente Emi-

Eminentiss. Card. Vicarij Vrbis. Secundo, & in secunda, seù alia veriori coram nobis vigore commissionis Sanctiss. de qua in actis versæ fuerunt, & vertuntur inter RR. DD. Parochos, Rectores, & Vicarios respectiuè Ecclesiarum Parochialium Secularium, & Regularium Vrbis nominibus, vt in actis Actores ex vna, & Reuerendos Fratres, ac Conuentum eiusdem Sanctę Mariæ de Araceli de Vrbe Minores de Obseruantia nuncupat. eorumque Guardianum Reos conuentos Partibus ex altera de, & super præstatione, & traditione Quartæ Funeralis, hoc est medietatis omnium, quæ obueniunt ratione funeris, & cum funere portantur, ac etiam vsque ad humationem Cadauerum, rebusque alijs &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitiuè sententiamus, benè, ritè, & rectè fuisse, & esse per d. R. P. D. Vicesgerentem ad fauorem dictorum Parochorum, Rectorum, & Vicariorum sententiatum, iudicatum, & diffinitum, malèque, nulliter, & perperam per dictos Guardianum, & Fratres ab illius sententia appellatum, prouocatum, de nullitate, & iniustitia dictum, & proindè dictam sententiam in omnibus, & per omnia confirman. & approban. fore, & esse, proùt confirmamus, & approbamus, victosque victoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure reseruamus. Et ità dicimus, pronunciamus, declaramus, & diffinitiuè sententiamus non solùm præmisso, sed omni alio meliori modo &c.

Est etiam impressa apud Pignatell. to.4. consult. 211. aliàs 215. & refertur à Cardinal. de Luca de Paroch. disc. 25.

Ità pronunciaui Ego M. Ant. Franciottus S. R. E. Card. & Iud. Commiss.

Ità pronunciaui Ego Dominicus Cecchinus S. R. E. Card. Iud. Commiss.

Ità pronunciaui Ego Franciscus S.R.E. Card. Cherubinus.

Quæ lecta, lata, & promulgata, atque publicata fuit die 2. Aug. 1651. per acta D. Maximi Righe Archiu. Not.

Christi

Sententia bo. mem. Riualdi Vicesg. cõfirmata vt suprà.

CHristi nomine inuocato. Pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de iure Peritorum consilio, & assensu ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ coram Nobis in prima, seù alia veriori versæ fuerunt, & vertuntur instantia inter RR. DD. Parochos, Rectores, & Vicarios perpetuos Ecclesiarum Parochialium Secularium, & Regularium Vrbis nominibus, vt in actis actores ex vna, & Reuerendos Fratres Domus Sanctæ Mariæ de Araçeli de Vrbe Minores de Obseruantia nuncupat. eorumque Guardianum Reos conuentos partibus ex alterà de, & super præstatione, & traditione Quartæ Funeralis de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris, & cum funere portan. vt infrà, rebusque alijs &c. Dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitiuè sententiamus, dictos Fratres, & Domum Sanctæ Mariæ de Araçeli, eorumque Guardianum, Sacristam, ac alios Ministros, ad quos spectat teneri, & obligatos esse liberè, & absque vlla mora præstare, tradere, & consignare dd. Reuerendis Parochis Ecclesiarum Vrbis Quartam Funeralem, hoc est medietatem omnium Intortitiorum, Facularum, Cereorum, & Candelarum, quæ circà Cadauera mortuorum per viam deferuntur, quando ipsa Cadauera extrà eorum Parochiam asportantur, & respectiuè associantur ad Ecclesiam, & Domum de Araçeli, siue ibi habeant sepulturam, siue illam sibi inibi elegerint. Item medietatem omnium Intortitiorum, etiam circà Altaria, cereorum, & aliorum prædictorum, quæ apponuntur circà ipsa Cadauera, quando in prædicta Ecclesia permanent, seù deponuntur. Item medietatem omnium, & quorumcumque Calicum, librorum, vestium sacrarum, Banderiarum, Culcitrarum, & aliarum quarumcumque rerum, quæ occasione funeris Ecclesijs debentur, & respectiuè in feretro deferuntur, seù medietatem eorum pretij, & valoris,

Impressa apud Pignat. loc. supracit.

ris, aut alterius summæ concordatæ, seù concordandæ, reseruatis vtrique parti iuribus super quarta legatorum &c.

Item pari nostra sententia dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitiuè sententiamus, dictis Reuerendis Curatis, & Parochis circà pręmissa priuilegium, seù indultum fel. rec. Innocentij Papæ Octaui non obstare, & ipsis Reuerendis Fratribus, & Domui de Aracęli non suffragari, nec suffragari debere, mandatumque, seù mandata exequutiua, & alia necessaria, & opportuna pro paritione huius nostræ sententiæ, ac pro præstatione, & traditione huiusmodi quartæ, tam in præteritum debitæ, quàm in futurum, proùt casus euenerit, debendæ decernen. & relaxan. fore, & esse, proùt decernimus, & relaxamus, victosque victoribus in expensis in causa factis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure inposterum reseruamus, & ità dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitiuè sententiamus non solùm præmisso, sed & omni alio meliori modo &c.

Ità pronunciaui Ego Ascanius Riualdus Vicesgerens, & Iudex ordinarius.

Quæ lecta, lata, data, & promulgata, atque publicata fuit die 10. Decembris 1650. per acta D. Io: Garzia Valentini Not. Eminentiss. & Reuerendiss. Card. Vicarij.

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ DECISIONES

Super Funere non facto.

R. P. D.

CAPRARA

POSTEA S.R.E. CARDINALI.

Romana Funeralium.

Lunæ 24. Aprilis 1690.

DECISIO I.

Ad Statut.cap.4. §. 2. in add.p.27.

PAtres Sancti Augustini de Vrbe, in quorum Ecclesia R. P. D. Rita sepulturam elegerat, & absque vlla funebri pompa fuerat sepultus, vt mandauerat, prætendebant sibi deberi medietatem illius quantitatis, quam loco funeralis ab hæredibus soluendam taxauerat Camerarius Cleri. Verùm sese opponente Ioanne Francisco Topino Rectore S. Saluatoris de Cupellis, personæ defunctæ Parocho, Eminentissimus Vicarius, ad quem res fuerat delata, Patrum instantiam reiecit, & ad fauorem Parochi pro integra quantitate, iam ab hærede deposita, mandatum relaxauit, quod hodiè in gradu appellationis Domini dixerunt exequendum.

Visa est enìm & ipsis insubsistens Patrum prætensio, cùm actio ad funeralia soli Ecclesiæ Parochiali compe-

petat, vtpotè de illius Iuribus tantùm ex firmatis per *Rot: decis.*194. *num.*1. *coram Mantic.*, & *decis.*480.*n.*8. & 9. *coram Merlin. repetita in Rec. decis.* 408. *part.* 5. Nec vllo iure cautum reperiatur, quod Ecclesiæ sepelienti Ius, seù actio aliqua competat pro solemni funerali non facto, & à Testatore prohibito, cùm dispositio Concilij Viennensis *in Clem. Dudùm de sepult.* in quo vnicè residet ius Regularium, loquatur solùm de funeralibus relictis, vt ibi legitur ad litteram, & proindè, tanquàm exorbitans, non est extendenda ad non facta, & non relicta funeralia, vt ad hunc effectum notat *Modern. Salentin.Consult.Canonic.tom.6.consult.*88.*num.*2. & priùs dixerat *Calderin. cons.*2. *de sepult.*, *Morott. respons.*51. *eodem tit. num.*13. *in fin.*

Idque comprobatur etiàm ex determinatione Statuti Cleri Romani *cap.*4. *tit. de canon. port.* §.4. 5. & 7. vbi considerando casum, quo funus celebratur in Ecclesia diuersa à sepeliente, disponit, vt funeralium emolumenta diuidantur inter Ecclesiam Parochialem, & funerantem, nulla relicta portione Ecclesiæ sepelienti, & hoc quidem multo iure, cùm Ecclesiæ sepelienti funeralia non debeantur, nisi ratione laborum, quos ipsa substinet in funeris celebratione, vt obseruat *Molphes. in Summ. tract.*13. *tit. de vltim. volunt. cap.*8. *num.*35. Iuri consonum est, vt, eo cessante, cessent etiàm emolumenta, quæ eius occasione, & intuitu præstantur, ad *Text. in leg. Seio, de ann. legat.*, *Lara de Anniuers. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17., *Petr. Vbald. de Canon. Paroch. quæst.*7. *sub num.*13.

Hìnc non obstat prætensa consuetudo diuidendi huiusmodi funeralia inter Ecclesiam Parochialem, & sepelientem, quià cùm innitatur simplicibus attestationibus, in quarum contrarium aliæ similes deducebantur pro parte Parochi, elisa proindè remanet quæcumque consuetudo, quæ ex actibus difformibus nunquàm in-

ducitur, sed excluditur, *Bart. in l.2. in fin. ff. solut. matrim.*, *Decius cons.214. num.2. vers. 2. hoc idem*, *& per tot.*, *Alex. cons.173. per tot. lib.6.*, *Rota coram Gregor. decis.162. num.9.* & ibi *Adden. num.15.*, *& coram Bich. decis.48. num.15.*

Minùs refragari videbatur, quod non integrum funerale, sed sola quarta portio (quæ in Vrbe ex consuetudine est medietas) sit debita Parocho, vt sancitur in *d. Clem. Dudùm de sepult.* quià cùm Ecclesia sepeliens nullum habeat ius super alia medietate, sicuti non potest pro ea agere, minus potest excipere, *l. prima, ff. quor. appell. non recip. l. ille, à quo §. Si de Testam. ff. ad Trebellian.*, *Cephal. cons.133. num.39.*, *Rot. coram Gregor. decis.396. num.3.*, *& decis.320. num. 5. coram Buratt.*, *& decis.93. num.7. & 8. par.6. Recent.* & Parocho sufficit vincere per non ius Patrum Actorum *l. Actor. C. de probat.*, *l. qui accusare, C. de Eden. l. fin. C. de rei vendic.* & in terminis *in Romana Iurium Funeralium decis.* 348. *num.5. part.11. Recent.*

Et ità vtraque &c.

Rene-

Reuerendiſs. P. D.

MOLINES

DECANO

Romana Funeralium.

Lunæ 15. Iunij 1699.

DECISIO II.

1 ANtiquiſſima viget in Vrbe conſuetudo taxandi Funerale à defunctis nullo modo prærdinatum, aut ab eorum Hæredibus non factum iuxtà ſingulorum Dignitatem, gradum, & facultates, quod ſemper integrum exegit Parochus, quando corpora mortuorum tumulata fuerunt in propria Eccleſia Parochiali; eis tamen in alia ſepultis controuerſum extitit, an etiàm totum ad illum ſpectaret, ſeù contentus eſſe deberet ſua Quarta Canonica, remanente reſiduo pro Eccleſia ſepeliente, eo modo, quo fit, quando in ipſa verè, & realiter factum eſſet. Anno tamen 1690. delata huiuſmodi controuerſia ad hoc Sacrum Tribunal occaſione non facti, & taxati Funeris R.P.D. Ritæ, prodijt coram R.P.D. meo Caprara Deciſio, totum, & integrum competere Parocho; cui reſolutioni Patres S. Auguſtini ſuccumbentes, acquieuerunt, litique ſolemniter renunciarunt.

Ad Statut. d.c.4. §. 2. in add.p.27.

2 Verùm hac re iudicata non obſtante, ob non factum Funus claræ memoriæ Principis Don Flauij Vrſini,

re-

renouata fuit similis contentio inter Parochum Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, vbi in sepulchro preclaræ huius Familiæ illius cadauer humatum est, & Parochum Ecclesiæ Sancti Eustachij, in cuius septis idem Princeps naturæ debitum reddidit, super pertinentia dicti Funeris à Camerario Cleri Romani taxati, vtque semel huiusmodi disputationes frequenter contigibiles amputarentur, placuit Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnanti præsentem Causam definiendam remittere ad Sacram Congregationem Concilij, exquisito Voto nostri Auditorij, ceteris Vrbis Parochis pro omni eorum iure, & interesse vocatis, & auditis. Quamobrem cùm ad huius Rescripti normam hodiè dubitauerim: *An Funerale non factum deberetur integrum Ecclesiæ Parochiali, quando defunctus fuit sepultus in alia Ecclesia,* Domini, diuiso Dubio in duas partes, an scilicèt Funerale non factum debeatur, iustèque exigi valeat; Et quatenùs affirmatiuè, an tantùm à Parocho, itaùt ipsi totum, & integrum sit adiudicandum, Re maturè, & funditus examinata responsum dederunt, *Funerale non factum deberi, & quidem totum, & integrum Parocho.*

3 Prima pars resolutionis solidum visa fuit recipere præsidium non solùm ex efficacia consuetudinis nunquàm in dubium reuocatæ, quæ in hac, de qua agitur, materia multùm operatur, argumento *cap. Certificari de sepult., Innocent. in cap. Dilectus num.4. de Cappell. Monach., & in cap. Ad audientiam,* vbi etiam *Ancharan. n.6. vers. Quartò quæro de Eccles. ædific., Rot. decis. 376. num.2. part.1. Recent.*

4 Sed etiàm, & principaliter, quia Ecclesia Catholica obliteratis, & proscriptis innumeris superstitiosis, & deridendis Ethnicorum Funerum * ritibus, necnon ambitiosis, & superfluis expensis, quæ in hanc causam effundebantur, sequens exempla Veteris, & Noui Testa-

* Io: Kirchmanus de funeribus Romanorum.

ſtamenti, inſtructaque Beatorum Apoſtolorum, Sanctorumque Patrum regulis, pios, ac religioſos conſtabiliuit Ritus in ſepeliendis corporibus mortuorum ſeruandos, inſtituendo ſcilicèt, vt eorum Funus proſequeretur cum pijs precibus, Pſalmis, & Miſſis, aſſociatione Clericorum, candelis, & cereis ardentibus, aliaque huiuſce generis pompa, & celebritate; Idque tam in ſuffragium animarum, ſolatiumque viuorum, quàm ad ſignificandum animas à corpore ſeparatas viuere, & immortalitatis dono gaudere, defunctos obijſſe in Fide, reſurrectionem, ac fruitionem æternæ gloriæ expectare, vt ex Diuo Auguſtino *in libro de agenda cura pro mortuis*, Hieronymo, Ambroſio, & alijs probant *cap. Non æſtimandum* 19. *cap. Animæ* 22. *cap. Tempus* 23. *cap. Quia* 24., *& cap. Qui Diuina* 28. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. & explicant latè *Cardinal. Bellarmin. tom.* 1. *controuerſ. lib.* 2. *de funer. cap.* 9. *&* 10., *Gulielm. Benedictus in cap. Raynutius verb. Mortuo itaque Teſtatore il* 1. *num.* 54. *de teſtament.*, *Durand. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib.* 1. *cap.* 23. *à num.* 10. *ad* 16., *Caſſan. in Catalog. glor. mund. part.* 2. *conſiderat.* 5., *Iulius Lauor. elucubrat. variar. tit.* 2. *cap.* 3. *à num.* 32. *ad num.* 17., *& cap.* 14. *per totum*, *Beyerlinck in theatro vitæ humanæ ver. Sepultura Eccleſiaſtica cum ſequentib.*, *Frances de Eccleſ. Cathedral. cap.* 17. *num.* 117. *ad num.* 156., *Paſſerin. de offic. & ſtat. homin. tom.* 2. *quæſt.* 187. *art.* 4. *num.* 34. *&* 35., *Lar. de anniuerſ. lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 52. *ad* 58., *Amoſtazz. de cauſ. pijs lib.* 6. *cap.* 1. *à num.* 1. *ad num.* 27.

5 Inualuitque adeò in toto Orbe Catholico huiuſmodi vetus Eccleſiæ inſtitutum, vt receptiſſimum ſit inter noſtri Iuris Interpretes, quod mandari non debeat executioni vltima defunctorum voluntas in ea parte, in qua præſcriberent eorum corpus humari ſine vlla honorificentia ab Eccleſia inſtituta, vt probant *Valenz. to.* 3. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 2., *Bannez.* 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 3., *Lauor.*

uor. var. elucubr. tit. 2. cap. 16. num. 18., *Ventrigl. in prax. rer. notab. for. Eccles. annot. 52. §. vnic. num. 16.*, *Frances de Eccles. Cathedral. cap. 17. num. 153.*, *Amostaz. de causis pijs lib. 6. cap. 5. num. 13.*, *Passerin. dict. art. 4. num. 35. in fine*. Non obstante qualibet contraria consuetudine, quià hanc tamquàm irrationabilem, omnique honestati repugnantem eliminandam, & extirpandam esse, ex *cap. final. de consuetud.* alijsque probat *Pignatell. consult. 229. n. 14. tom. 4.*

6 Hancque ob causam Rituale Romanum à sanctæ memoriæ Paulo Quinto approbatum ad compescendam hæredum impietatem negligentium prosequi solemni more funus Defunctorum, districtè *in Rubrica de exequijs* monet Parochos, ne huiusmodi Ritus omittatur, sinantque in desuetudinem abire, ibi = *Sacras cęremonias, ac Ritus, quibus ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum Institutis Sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequijs vti solet, tanquàm vera Religionis mysteria, Christianaque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio seruare debent, atque vsu retinere*, & parum infrà, ibi = *Cùm autem antiquissimi Ritus Ecclesiastici sit, Cereos accensos in exequijs, ac funeribus deferre, caueant item, ne huiusmodi Ritus omittatur, ac ne quid auarè, aut indignè in eo committatur*, & D. Carolus Borromęus inter Constitutiones Concilij Prouincialis præcepit etiàm, sunt eius verba, *vt vetus Ecclesiæ institutum mortuorum funus pijs precibus, & officijs solemni more prosequendi multis in locis auaritia, ambitione, vel negligentia deprauatum ad pristinam pietatis rationem reuocetur*. Et mox subiungit, ibi = *Si mortuorum hæredes ità se impiè gesserint, vt Religiosum exequiarum Institutum negligentes Cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhiberi noluerint, ab Episcopo ea cogantur comparare, quæ necessaria videbuntur*.

Stante

7 Stante proindè præfata Ecclesiæ vetustissima Institutione deferendi ad tumulum cum debito funere corpora Fidelium, improbatione contrariæ consuetudinis, voluntatisque Testatorum illud prohibentium, ac demùm onere Parochis iniuncto, vt huiusmodi vsus retineatur, & omninò seruetur, benè, & secundùm Iuris regulas sancitum est Romæ speciali Cleri Romani Statuto, vt Defunctorum hæredes cogantur consueto Ritu funerali deferre, & exponere Cadauera, negligentibusque hanc pompam, & honorem mortuis exhibere, idem funus non factum taxetur per Cleri Romani Camerarium, iuxtà illorum qualitatem, & substantiam; frustrà enim Ecclesia pios, & laudabiles institueret Ritus, si ad obseruantiam non deducerentur, omnesque non arcerentur fraudes illam impedientes, vt omissis generalibus, quæ congeri possent, in terminis funeralium ait *Text. in cap. Officij §. Si verò, & cap. final. de Testam. cap. Ex parte in fine de verb. signif., & concordat Rituale Romanum in præcitato titulo de exequijs §. Sacros, §. Caueant, §. Cùm autem, & infrà latius.*

8 Quæ omnia mirificè confirmantur ex communi opinione Doctorum dicentium, quod quando aliquis moritur ab intestato nihil disponens circà funeris impensam, Missas, vel alia pia suffragia pro eius anima, posse, & debere Episcopum ad istos effectus taxare, & applicare aliquam summam moderatam iuxtà illius statum, qualitatem, & facultates, & obstringere hæredes ad illam soluendam; maximè stante consuetudine, quæ valdè rationabilis est, vt tenent *Genuens. in prax. Archiepiscop. cap.79., Nicol. Elucubrat. tom.1.lib.2.tit.10. de Testament. numer.16. pag. 172., Cortiad. decis. 258. num.45. 46. & 47., Cardinal. de Luca de Testament. discurs.24., Amostazz. de causis pijs lib.6. cap.6. à n.55. ad* 74. vbi hoc ipsum comprobat ex legibus Castellæ; Imò, quod magìs est *à num. 75. cum duobus seqq.* etiàm

O pro-

probat, quod si aliquis cum Testamento decedat, nihil tamen disponendo de expensis funeris, & suffragijs pro eius anima, quatenùs hæredes spontè eas facere renuerint, posse Episcopum eos cogere ad distribuendam partem bonorum proportionatam qualitati, & substantiæ Defuncti, idemque tuetur *Spino de Testament. gloss. 2. num. 54.*

9 Neque dicatur, hanc Vrbis consuetudinem taxandi funerale non factum aduersari Sacrorum Canonum dispositioni prohibentium pro sepultura in Ecclesia præstanda, & pro officio, quod impenditur in Corporibus humandis vllum pretium exigi per *Text. in cap. abolendæ 13. de sepult. cap. questa 12. cap. Postquàm 13. cap. in Ecclesiastica 14. cap. Præcipiendum 15. caus. 13. quæst. 2. cap. Plerique 7. de Pactis, cap. ad Apostolicam, cap. suam, cap. dilectus, de simonia*. Ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut Presbyteri de humanis videantur mortibus gratulari, si ex eorum Cadaueribus studeant quærere quolibet modo compendium, vt totidem verbis scribens ad Episcopos Messanen., & Calaritanum exclamabat *S. Gregorius Magnus libr. 7. epist. 4. & 56. cum alijs concordantibus latè deductis per Gonzal. in d. cap. abolendæ, de sepultur., & Patrem Thomasin. in veter., & nou. Eccles. disciplin. part. 3. lib. 1. cap. 65. & cap. 66. per tot.*

10 Nàm sicuti innegabile est, quod Sancti Patres, Canones, & Concilia nullo tempore passi fuerint, quod Clerici, & Presbyteri administrarent sepulturas cum aliqua pactione, & coacta solutione: Verissimum pariter est, nunquàm vetuisse, ne spontaneas oblationes in hanc causam factas reciperent, vt prelaudatus *S. Gregorius* protestatur *in dicta epist. 56.* ibi = *Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem Parentes ipsius Proximi, vel hæredes pro luminaribus spontè quid offerre voluerint, accipere non vetamus*, & concor-

cordant omnes Canones in obiecto allegati, & in hunc sensum intelligendus est *Text. aliàs difficilis in cap. secundùm Canonicam* 24. *cauf.*23.*quæst.*8. vt notat *Gonzalez in d.cap. abolendæ n.*8.

11 Cùmque consuetudo offerendi aliquid pro sepulturis, & exequijs funerum latissimè, & vbique effusa fuerit, atque aliàs talis vsus in seipso sit pius, & laudabilis ob rationes suprà expensas, hinc ne refrigesceret pietas, aut Religiosa consuetudo alicuius malitia obsolesceret, Concilia, & Synodica Statuta iubere, & præcipere cęperunt, consuetudines huiusmodi omninò seruari debere, vt præ cęteris Honorius Papa Tertius, & non Innocentius Tertius, vt benè notat *Gonzal. in dicto cap. abolendæ* 13. *de sepult.* iniungit Magalonensi Episcopo, sunt præcisa verba = *Laudabilem consuetudinem ergà Dei Ecclesiam pia deuotione fidelium introductam obseruent, ne fermento hæreticæ prauitatis illam erumpere videantur sub prætextu Ecclesiasticæ puritatis*, & Alexander Tertius in Cap. Ad Apostolicam, id ipsum districtiùs præcipit ibi = *Quapropter super his prauas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari, statuentes, vt liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Et ità docuit *Sanctus Thomas* 2. 2. *quæst.*100. *art.*2. *in corpore*, *& ad* 4. *& art.* 3. *in corpore, & ad secundum*, & latè tradunt *Gratian. discept.*110. *num.*10., *& in decis. Marchiæ* 26. *num.*14. *&* 15., *Lara de anniuers. & Cappell. lib.*1. *cap.*27. *num.*17., *Amostaz. de causis pijs lib.*6. *cap.* 7. *num.* 27., *Antonell. de regim. Eccles. lib. primo cap.*12. *num.* 55., *Gonzal. in dicto cap. Abolendæ num.*9. & solidè *Thomasin. dicto lib.*3. *cap.*68. *per tot.*

12 Quamobrem *Glos. in dicto Cap. Ad Apostolicam* in verb. *nituntur laudabilem de Simon.*, *& in cap. suam* 29.

verb. *pro exequijs eod. tit. & in càp. abolendæ* 13. verb. *exigere de sepult.* docet, Populum, si non iure actionis, officio Iudicis adstringi posse ad seruandam talem consuetudinem pia deuotione fidelium introductam,& comprobant *Cap. ex parte de cens. & Authen. de Sanctis Episcopis* §. *Pro consuetudine*, *Abb. in d. cap. Ad Apostolicam*, *Baldus cons.* 58. *part.* 2., *Castrens. cons.* 363. *lib.* 1. circà primum quæsitum, *Grat. discept.* 210. *n.* 24., *Lauor. var. elucubr. tit.* 2. *cap.* 10. *n.* 23.

13 Quin vllatenùs officiat, quod Alexander Tertius in Concilio Turonensi relato à *Gratiano in cap. Non satis* 8. §. *Pro sepultura*, & Concilium Lateranense relatum in *Cap. Cùm in Ecclesia* 9. *de Simon.* ipsam improbent consuetudinem aliquid exigendi pro sepulturis, & exequijs funerum; Quoniàm, vt rectè distinguit *Glos. in dicto cap. Cùm in Ecclesia*, verbo *consuetudine*, in antedictis Concilijs reprobatur consuetudo originem desumens ex coactis solutionibus factis, mediante pacto antecedenter ad datam defunctis sepulturam conuento; Secùs verò consuetudo introducta ex pluribus, & frequentatis actibus omninò liberis, & voluntarijs inceptis, & prosecutis ex pia, & laudabili deuotione fidelium in augmentum Cultus Diuini, & ad decentem, & congruam substentationem Parochorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiæ; Prima enìm vtpotè trahens exordium à pacto, & coactione à iure prohibita potiùs corruptela dijudicanda est, quam profectò diuturnitas temporis non diminuit, sed auget; Secunda verò, quià profluit ex actibus spontè factis, & permissis, aliàsque in se valdè pijs,& laudabilibus, benè dicitur introducta, vt explicat *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *in corpore*, & *ad quartum*, & *art.* 3. *in corpore*, & *ad secundum*, *Abbas in cap. suam* 29. *de Simonia*, & *in dicto cap. ad Apostolicam*, *Castrens. dicto cons.* 363. *num.* 2. *vers.* 3. *requiritur*, & *cons.* 401. *num.* 4. *tom. primo*, *Roman. cons.* 344. *num.* 1. & 2.

& 2. & singul.433., Gratian. discept.210. à num. 33. ad n.39., Lauor. var. elucubr. tit.2. cap.10. n.22., & 23., Lara de anniuers. & Cappellan. lib.1. cap. 25. num. 17., Amostaz. de causis pijs lib.6. cap.7. num.27. Antonell.de regim.Eccles.lib.1.cap.12. n.55.

14 Hæc quoad primam partem resolutionis; aggrediendo secundam, quod funerale non factum totum, & integrum debeatur Parocho: Ratio sic decidendi fuit duplex, quarum prima stetit in eo, quod attenta Iuris veteris Canonici censura, Ius sepeliendi solùm spectabat ad Parochum ratione suæ Ecclesiæ, quæ eo ipso, quod est erecta in Parochialem, habet proprium Territorium, Populum, & Cęmeterium, & cum his qualitatibus fuerunt diuisæ Parochiæ, vt Parochi suis terminis, & districtibus contenti, scirent, quibus haberent ministrare Sacramenta, & concedere sepulturam, *cap. Ecclesias caus. 13. quæst.1. cap. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli, Concil. Trident. sess.24. de reformat. cap.13. vers. In ijs quoque*. Et quià de iure solùm Ecclesiæ Parochiales habebant Populum, & Cęmeterium, ideò ex eadem iuris dispositione illis tantùm competebat ius sepeliendi, *Gloss. in Clement. Dudùm de sepult. verb. Sepulturam, Innocent. in cap. 1. de sepult., Abbas in cap. fraternitatem 3. vers. Sed ego, eodem tit. de sepulturis, Archidiaconus in cap. certificari 9. num. 89. eodem tit., & in cap.1. pariter eodem tit.in 6., Fagnanus in d.cap. fraternitatem n.4.& 6., & Lauor. var.elucubr. tit.2.cap.9.num.2.3.& 7., Frances de Eccles.Cathedral. cap.17.n.7. Amostaz. de caus. pijs lib.6. cap.2. à num.15. ad num.19.*

15 Adeoùt communis sit antiquorum Canonistarum sententia, Ecclesias non Parochiales, & præcipuè illas Monachorum, & Regularium, quià de iure non habebant Populum, solumque retinebant Cęmeterium pro se ipsis, non potuisse nisi proprios Monachos sepe-

lire

ſire ad expreſſum *Text. in cap. placuit* 1. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. Iuſque illud, quo gaudent tumulandi alios, qui in eorum Eccleſijs elegerint ſepulturam, non obtinere ex Iuris Communis diſpoſitione, ſed ex priuilegio S. Sedis Apoſtolicæ, vt probatur ex *cap. certificari* 9. *cap. In noſtra* 10. *verſ. E contrà, vbi gloſs. verſ. niſi dolo, ibi*= & ſic *propter dolum ceſſat priuilegium*, *de Sepultur. cap.* 1. *de pact. in* 6. Et magis apertè conuincitur *ex Clement. Dudùm verſ. huiuſmodi quoque Statuto de ſepult.*, vbi per priuilegium Sedis Apoſtolicę conceditur Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, vt in ſuorum ordinum Eccleſijs vbilibet conſtitutis liberam habeant ſepulturam ad tumulandos eos, qui in illis humari voluerint, & ità tenet *Abbas in cap. fraternitatem* 3. *de ſepult.* dicens ſe numquàm aliquam Conſtitutionem legiſſe, in qua caueatur, Monaſteria habere de iure Cęmeteria, niſi pro ſuis, & comprobant *Federic. de Senis conſ.* 135. *num.* 19., *Nauarr. conſ.* 1. *num.* 1. *de ſepult. in nouis*, *Cironius in cap.* 2. *de ſepult. in* 5. *compilat. Lauor. dicto tit.* 2. *cap.* 9. *num.* 10., *Samuel de ſepult. prælud.* 10. *num.* 2., *Lezzan. ver. Sepultura num.* 4., *Gonzal. in cap. fraternitatem* 3. *num.* 7., *& in cap. ſuper* 8. *num.* 11. *verſ. pro cuius Textus expoſitione, de ſepult.*, *Amoſtaz. de cauſis pijs lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 1., *& n.* 38. *verſ. & poſteà Pontifices*.

16 Quin attendendi ſint aliqui recentiores, videlicèt *Fagnan. in dicto cap. fraternitatem num.* 5. *&* 6., *Paſſerin. de ſtat. homin. tom.* 2. *quæſt.* 187. *art.* 4. *à n.* 137. *ad num.* 142., *Bordon. reſol.* 51. *num.* 6. tenentes etiam Regularibus permiſſam eſſe poteſtatem ſepeliendi in ſuis Eccleſijs ex Iuris Communis diſpoſitione; Tùm quià contrà illos ſtat communis omnium antiquorum, & grauiſſimorum Canoniſtarum Sententia; Tùm quià Textus per illos citati potiùs fauent, quàm aduerſentur contrariæ communi opinioni; Nàm dictum *Cap. fraternitatem* 3. *de ſepult.* explicat Abbas in verſ. *vnde intel-*

ligo,

ligo, dicens esse intelligendum de Monasterijs habentibus Populum, vel Ius sepeliendi ex priuilegio; Et in hoc etiàm sensu intelligenda esse *cap. vbicumque 6. 13. quæst.2., & cap. Agapitus 23. 16. quæst. prima*, ait Gloss. in eodem *cap. Agapitus*, verb. *Missas*, & in *cap. Intercedimus*, verb. *ab Episcopis 16. quæst. prima*: Quamobrem Innocentius in *cap. primo de sepult.* statuendo in hac materia regulam generalem, omnibus cauendum esse monet (sunt eius verba) *quod non omnis Ecclesia habet Cœmeterium, sed illæ tantùm, quæ habent Populum, vel illæ, quibus concessum est ex priuilegio*.

17 Vndè ex quo de iure communi Monachi, alijque Regulares non poterant recipere alios fideles in suarum Ecclesiarum sepulturis, impetrabant priuilegia Apostolica, quæ ne in totum essent præiudicialia Ecclesijs Parochialibus, in eis apponebatur clausula, *salua Iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum Corpora assumuntur*, per quam clausulam Pontifices præseruare semper intellexerunt portionem Canonicam debitam Ecclesiæ Parochiali, ex quo ipsis de iure, semotis dictis priuilegijs, ius sepeliendi suos Parochianos competebat priuatiuè quoad omnes Regulares, vt dicitur in dicto *cap. certificari 9. cum Gloss. de sepult.* & notant *Gonzal. in cap. Cùm super 8. n.11. eodem tit., Lauor. var. elucubr. tit.2. cap.9. num.5., Barbos. de offic. Paroch. part.3. cap.25. n.10., Rota decis.83. post Tamburin. de Iur. Abbat.*

18. Secundam rationem petierunt Domini ex ipsius Iuris Communis censura, iuxtà quam emolumenta funeralia recensentur inter Iura Parochialia, solisque Parochis exercentibus curam Animarum tributum est ius illa petendi, non iam ratione laboris in corporibus fidelium humandis adhibiti, sed in compensationem oneris Officij Curati, & administrationis Sacramentorum: Decet enìm Presbyteros, qui Populum prædicatione instruunt, diuina celebrant Officia, nocte, dieque Sacramenta

menta miniſtrant, preceſque pro Populo effundunt, inter alias obuentiones neceſſarias pro illorum congrua, & decenti ſubſtentatione recipiant etiàm iſtam emolumentorum funeralium, vt habetur ex *cap.* 1. 4. *&* 10. *de ſepult. Clement. Dudùm*, §. *Verùm eodem tit.* vbi latè *Vitalin. num.*5., *Federic. de Senis conſ.*3. *num.*8. *&* 9., *Roman. conſ.*342.*num.*1. *&* 2., *Petrus de Vbald. in tract. de Canonic. Parochial. cap.*2. *per tot.*, *& cap.*6. *num.*1., *& cap.*7.*eodem num.*,*Barboſ. de Paroch.cap.*25. *num.*19. *&* 32.,*Amoſtaz. de cauſis pijs lib.*6.*cap.*3.*num.*39.*&* 42., *Rota coram Mantic. deciſ.*294. *num.primo*, *& coram Caual. deciſ.*101. *num.primo*, *coram Merlino deciſ.*19. *n.*2., *& deciſ.*480.*n.*5.*cum ſeqq.*, *& deciſ.*99.*n.*6. *coram Manzaned.*, *& deciſ.*402. *n.*5. *cum ſeqq. part.*5. *Rec. tom.*1., *& deciſ.*552.*n.*8. *eadem part. tom.*2.

19 Poſito autem,quod ius ſepeliendi, ac funerandi, exigendique funeris emolumenta de Iure Communi ſpectet ad Parochum,& nonniſi ex priuilegio,& Sedis Apoſtolicæ conceſſione competat Eccleſijs non Parochialibus, & Regularibus, in quibus defuncti ſepulturam elegerint, ſequitur de plano, quod vbi non conſtet de priuilegio conceſſo Eccleſijs non Parochialibus ſepelientibus conſequendi funerale non factum; iſtud citrà vllam ambigendi rationem debetur Parocho iuris aſſiſtentia ſuffulto ex notis principijs, quod habens pro ſe iuris regulam, dicitur habere intentionem pluſquàm fundatam ex relatis in *deciſ.*151.*num.*7. *&* 8. *part.* 6. *Rec.* & allegans priuilegium debet illud probare, & talitèr, vt de eo hęſitari non poſſit ex congeſtis per *Franceſ.de Eccleſ. Cathedral. cap.*30. *n.*194., *Rota coram Buratt.deciſ.*140. *n.*1., *& deciſ.*185.*n.*9.*coram ſa:me:Alexandro VIII.*

20 Huiuſmodi porrò priuilegium vſque modò non fuit oſtenſum in corpore iuris exiſtere, non ſuffragante deducto ex *cap. relatum* 2. *cap. Cùm ſuper*, *& cap. In noſtra de ſepult. Clement. Dudum eodem titulo*; Nàm quamuis

quamuis ibi disponatur, quod humatis defunctis extrà Parochialem Ecclesiam teneatur Ecclesia sepeliens præstare Parochis tantummodò suam portionem Canonicam, quæ à Clemente III. *in cap. certificari 9. de sepult.* est taxata in tertia, vel quarta parte emolumentorum funeris, aliorumque legatorum intuitu sepulturæ relictorum, vel etiàm in medietate iuxtà peculiares locorum, Regionumque consuetudinem, vt pluribus alijs deductis latè differit *Amostaz. de caus. pijs lib. 6. cap. 3. à num. 37. ad 42.* quæ in Vrbe viget soluendi medietatem, redactaque est in legem per Statutum Cleri Romani confirmatum à san. mem. Vrbano VIII. anno 1629. sub cap. 4. per ea, quæ tradunt *Barbos. de Iur. Eccles. lib. 3. cap. 25. num. 41. & 42., Passerin. de stat. homin. quæst. 187. art. 4. n. 487. in fine.*

21 Loquuntur tamen relatæ Decretales, & Conciliares dispositiones de funere facto, & legatis expresse in eorum vltimis tabulis Ecclesiæ sepelienti relictis, vt litteraliter patet ex *cap. primo de sepult.* ibi = *Sed quià dignus est Operarius mercede sua, tertiam partem sui Iudicij illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cęlesti pabulo resici consueuit*, ex quo verbo *Iudicij* sui clarè deprehenditur, Pontificem loquutum fuisse de relictis Ecclesiæ sepelienti, & explicat benè Glofs. ibi in verbo *Iudicij*: Idemque statuitur in *cap. relatam 2.* ibi = *Omnium rerum, & possessionum, quas pro salute Animæ suæ decreuerit disponere, medietatem Ecclesiæ, ad quam dignoscitur peruenire, relinquat*; Et concordat *cap. cum super 8.* ibi= *Præsentium authoritate statuimus, vt si aliquem Parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur*; Rursùs in *cap. In nostra 10.* ibi = *Talem super his duximus sententiam proferendam, quod prædicti Hospitalarij de cętero non recipiant Parochianos Ecclesiæ supradictæ, nisi apud eos elegerint sepeliri, & tùnc Parochialis*

Ecclesia de oblationibus, lectis, & alijs, quæ defunctus inductus fuerit ad dispositionem huiusmodi faciendam &c. Id ipsum demùm cauetur in Clem. *Dudum* §. *Verum* ibi= *Ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, siuè Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, debitis, & necessarijs beneficijs defraudentur, auctoritate Apostolica constituimus, & ordinamus, fratres de obuentionibus omnibus, tàm funeralibus, quàm quibuscumque, & quomodocumque relictis &c. necnon de datis, vel qualitercumque donatis in mortis articulo &c. quartam partem auctoritate Apostolica taxamus.*

22 Si igitur recensita priuilegia concedentia Ecclesijs non Parochialibus, & Regularibus sepelientibus funerum obuentiones, deducta Canonica portione pro Parochis, restricta dignoscantur ad funerales oblationes, & legata à Testatoribus relicta, nullo modo extendi possunt ad emolumenta funeris non facti, & ex consuetudine taxandi, resistente natura priuilegiorum, quæ sunt strictissimi Iuris, *cap. priuilegium distinct.3. cap. Abbate* §. *Contrà quod de verb. signif. l. quia personale ff. solut. matrim.*, *Surd. decis.330.n.4.*, & tantum suffragantur, quantum litteraliter sonant, *Innocent. in cap. dilecto de Offic. Archidiacon. cap. auditis, vbi Felin. num.*10. *de præscript.*, *Francesc. de Ecclesf. Cathedral. cap.*30. *num.*171., & 185., *Rota decis.*2252. *n.*7. *coram Coccino*.

23 Minimè refragante identitate rationis, quæ prætenditur intercedere inter funerale factum, & non factum, quià etiàm hac concurrente priuilegia extendenda non sunt de casu ad casum similem, *cap. suggestum de decim. l. pr. C. de legib.* latè *Giron. de priuileg.*, & *exempt. explic. ex n.*53., *Carol. Tapia ad rubr. ff. de Constit. Princip. cap.*6. *per tot.*, *Hortig. in patrocin. Gymnas. Cæsaraugustan. part.*3. *n.*16. *cum seqq.*, *Fontanell. decis.*476. *n.*7., *Rota decis.*8. *n.*3. & 4. *part.*8., & *decis.*287. *n.*6. *part.*18.; Et in specie, quod Clementina *Dudùm* in ijs, quæ aduer-

uersantur Iuri Communi, sit strictè intelligenda, ait ibidem *Gloss. in verb. de Iure*, *Petr. de Vbald. de Canonic. portion. cap. 4. n. 15.*, *Passerin. d. quæst. 187. n. 512.*, & indiuidualiter, quod hæc Clementina vtpotè loquens de funeralibus relictis non comprehendat funus non factum tradit *Pignatell. tom. 6. consult. 88. n. 2. & 3.*, *Rota in dicta Romana Funeralium 24. Aprilis 1690. §. Visa est, coram R.P.D. meo Caprara.*

24 Cęterùm pro effectu, de quo agitur, notabile intercedit discrimen inter funerale à Testatoribus relictum, vel ab hæredibus factum, & funerale non factum, atque ex consuetudine taxandum. Eatenùs enim Sacri Canones ex funerali relicto Ecclesiæ sepelienti quartam tantùm separauerunt in beneficium Ecclesię Parochialis, in quantum ex vna parte omnia iura clamant Defunctorum Iudicia seruanda esse, *l. meminerint Cod. vnde vi*, & *auth. de hæredib.*, & *falcidia in fine*. Ex alia verò parte valdè durum apparuit, quod morientes obliti Ecclesiæ Parochialis, à qua tanquàm filij spirituales pabulum salutis æternæ receperunt, debuissent Ecclesiam matrem exhęredare, & fraudare, ad fauendum Ecclesiæ sepelienti extraneæ; Indèque tributa potestate vnicuique ad suum beneplacitum, & arbitrium eligendi sepulturam, eodem contextu cauerunt, ex omnibus emolumentis, & oblationibus Ecclesiæ sepelienti factis quartam detrahendam esse fauore Ecclesiæ Parochialis, vt sicutì huius Ministri fuerunt socij passionis fidelium sub ea viuentium, sic etiàm in morte fierent Comparticipes Consolationis iuxtà dictum Apostoli in *cap. primo ad Corinthios relatum in cap. 1. de sepult.*, & tradunt ibi *Abbas n. 3.*, *Hostiens.*, & *Io: Andr.* magìs latè *Gonzal. in cap. Cùm super de sepult.*, *Pignatell. cons. 229. num. 10. tom. 4.*, & *cons. 88. n. 6. tom. 6.* vbi adducit pulchrum locum Sancti Augustini relatum in *cap. placuit 7. §. Sed non videtur libera*, & *cap. Si quis irascitur 13. quæst. 2.*

25 Cessante autèm hominis dispositione, quià scilicèt funus nec relinquitur à Testatore, nec fit ab hærede, nullum ius, neque ratio suadet emolumenta funeris non facti competere Ecclesiæ non Parochiali sepelienti, non Ius, quià si attendatur antiquum Sacrorum Canonum, istud (vt dictum est) Ius sepeliendi, & funerandi solum concedebat Ecclesiæ Parochiali. Nequè Ius nouum posteriorum Canonum, quià hoc ex priuilegio permisit Ecclesijs non Parochialibus, & Regularibus posse sepelire, & recipere emolumenta funeris expressè relicti, & facti, vt etiàm probatum est; Nequè ratio, quià si fundatur in labore, qui substinetur in funeris celebratione, & isto non facto, cessat labor, ac per consequens nullatenùs debetur emolumentum eius occasione præstandum, vt notauit *Rota in d. Romana Funeralium 24. Aprilis 1690. §. Idque comprobatur*, minusque ratione datę sepulturæ, nàm aut sermo est de habentibus sepulturam maiorum, & illi habent ius ibidèm se humandi; Aut de non habentibus, & in hoc casu solùm Ecclesia sepeliens pro præstita sepultura prætendere potest, quod est solitum, vel voluntariè oblatum, numquàm tamen funerale non factum taxandum iuxtà Dignitatem, & facultates defuncti, quià hoc ius est solius Ecclesiæ Parochialis; Aliud enìm est ius sepeliendi, & aliud ius funerandi; Illud ex priuilegio competit alijs Ecclesijs non Parochialibus, istud verò semper competit Parocho ex notatis per *Lapum alleg.59.n.3.vbi citat cap.2.de sepult. in 6.*, & sequitur *Pignatell.tom.6.consult.88.n.8.*

26 E contrà verò Ius, & ratio militant fauore Parochorum: Ius enìm vetus eisdem tribuit tam ius sepeliendi, quàm exigendi funus. Nouum pariter, quià ex rebus occasione Sepulturæ relictis Ecclesiæ sepelienti quartam ad illorum fauorem separauit contrà ipsius Testatoris voluntatem, vt tradit *Roman.cons.343.n.1.& 2., Federic.de Senis cons.3.n.8.& 9., Ancharan. in cap.Officij*

vij de Testam., & ibidem Abb. n.3. & 5., Petr. de Vbald. de funeral. port. cap.3. n. 2. Ratio, quià Parochi, vt ait Concilium Viennense in totiès citata *Clement. Dudùm*, habent ministrare Ecclesiastica Sacramenta, prædicare, & proponere Verbum Dei, Confessiones audire fidelium. Iustum propterea, & conueniens est, vt sicutì quando Testatores disponunt fauore Ecclesiæ sepelientis, recipiunt Canonicam portionem, sic quando decedunt, nulla facta dispositione, & eorum hæredes impiè, vel negligentèr cum eis se gerant, non faciendo solitum funerale,in integro eius emolumento ex cōsuetudine taxando succedat Ecclesia Parochialis vtì mater suis filijs spiritualibus ab intestato; Sicutì succedit in ipsa quarta Canonica,quotiès à Testatore non relinquatur, vt ait *Federic.de Senis d.cons.3.n.*8., *Roman.cons.*343.*n.*1.& 2., *Pignatell.consult.*229.*n.*10.*to*:4., & *consult.*88.*n.*6.*to*:6.

27 Meritò proindè in Statuto Cleri Romani *cap.* 4. *tit. de Canonica portione* §.*Quarto, quinto, & septimo*, considerando casum,quo funeralia celebrarentur in alia Ecclesia, quàm sepeliente, cautum legitur, vt illorum obuentiones diuidantur inter Ecclesiam Parochialem, & illam,in qua funus celebratum fuit, quià reuerà hæc, præscindendo à funere relicto, vel in ea facto, nullum Ius prętendere valet pro taxatione non facti, illiusque petitione, vt notauit *Rota in d. Romana Funeralium coram R.P.D.Caprara* §.*Idque comprobatur*.

28 Stabilito ex hactenùs deductis, funerale non factum, attenta iuris dispositione totum, & integrum spectare ad Parochum; nullam promeruit animaduersionem consuetudo in contrarium per Parochum Lateranensem allegata, & subnixa pluribus extraiudicialibus attestationibus,quià cùm ex parte illius Sancti Eustachij, aliorumque Parochorum Vrbis exhibitæ fuerint plures aliæ oppositum comprobantes; nullum solidum constitui potest fundamentum super obseruantia adeò difformi,

&

& ex actibus contrarijs hinc indè interrupta, ideòque recurrendum solummodò est ad iuris censuram ex traditis per *Alex.conf.173.per tot. lib.6.*, *Dec. conf.214.ferè per totum*, *Bich.decis.*48.*n.*15., *& in d. Romana Funeralium coram R.P.D.meo Caprara* §.*Penultimo*.

29 Demùm Vicario perpetuo, seù Parocho Basilicæ Lateranensis ad effectum consequendi funerale non factum parum suffragari visa sunt ea, quæ cumulabantur circà superioritatem, & præeminentialem qualitatem dictæ Sacrosanctæ Basilicæ, quià huiusmodi superioritas, & præeminentia consistit in eo, quod sit Sedes Summorum Pontificum, Caput omnium Ecclesiarum Vrbis, & Orbis, & inter eas primum locum obtineat, *capit.Constantinus* 13.*distinct.96.*, & declararunt *Gregorius XI.*, *Beatus Pius V. in constit.94.*, *& Sixtus V. constit.* 19.; quæ preeminentiæ non operantur, quod illius Vicarius exercere valeat aliquod Ius Parochiale in Subditos aliorum Parochorum: In Vrbe enìm Parochiæ sunt distinctæ, suosque habent districtus, & limites, quos Parochi egredi nequeunt, & ipsemet Vicarius perpetuus Lateranen: habet suam Curam distinctam, & separatam cum assignatione emolumentorum prouenientium tantùm à seruitio actuali suæ Parochiæ, vt patet ex Institutione Vicarij Lateranensis, & aliarum Ecclesiarum Vrbis facta à sa: mem. Pio V. *in constit.* 139., & tradit *Pignatell.tom.7. consult.89. tota*, *& signanter n.16. cum seqq.*: Sicque prefato Vicario permissum non est in exercitio Curæ, neque in hac materia funerum ponere falcem in messem alienam.

Et ità vtraque parte informante resolutum fuit.

FINIS.

s
r
m

ca
fa-
itur
cem
ori-
um-
bis,
Con-
Cl.,
19.;
rius
tos
unt
s Pa-
etuus
ratam
n tan-
Institu-
um Ve-
e tradi
16. *cum*
in exer-
nere fal-

n fuit.



